JOHANNIS LOCKII ARMIGERI

LIBRI IV. DE INTELLECTU HUMANO

Denuo ex novissima editione idiomatis Anglicani, longe accuratiori in puriorem stylum translati: notis criticis DOMINI GOTTELFF HENRICI THIELE, DOMINI COSTE, ac FRANCISCI SOAVE illustrati; accedunt nonnullæ meditationes doct. JOHANNIS LEONARDI MARUGJ ad textum, illustrationesque accommodatæ.

TOMUS V.

Apponitur Elenchus Capitum.




NEAPOLI

Ex officina VINCENTII MANFREDII

[S]UPERIORUM FACULTATE.

MDCCXCI.





TENTAMEN PHILOSOPHICUM DE INTELLECTU HUMANO.

SEQUELA LIB. IV.

CAP. IV.

De Rerum cognitione.

§. I.

Objicitur: fieri potest, ut cognitio, in ideis sita, non a somniis & inanibus visionibus discrepet.

NUllus dubito, quin Lector, me operam hactenus frustra consumpsisse, sit existimaturus, atque sic mihi locuturus tandem: quorsum tot fundis verba? *Dicis, cognitionem nihil esse, nisi perceptionem convenientiæ, aut repugnantiæ* idearum *nostrarum*; *quid vero* ideæ *istæ sint, qui scis? Quid mentis figmentis varium magis & prodigiosum? Ubinam gentium is reperiendus est, in quo nullæ sint chimeræ? Aut si forte unus est & alter, mente penitus sana præditus, per regulas a te traditas, quomodo is cognitione a Lymphatico differt, qui ineptias quasi somniat? Uterque* ideis *imbuti sunt, atque illarum inter se convenientiam & repugnantiam cernunt. Si qui alius, is certe antecellit, cui cerebrum*

maxime calet, in eo enim plures sunt, & vegetiores ideæ; *quare, secundum te, illius major est cognitio. Si verum est, scientiam omnem positam tantummodo esse in perceptione convenientiæ, aut non convenientiæ* idearum *nostrarum, Lymphatici & Enthusiastæ somnia, atque viri cordati ratiocinia pari ambulabunt passu, & æque certa erunt. Nihil refert, quomodo se res habeant. Dummodo quis conceptionum suarum convenientiam animadvertat, atque iis congruentia loquatur; tunc omnia vera, omnia erunt certa. Istiusmodi veritates non minus claræ & certæ erunt, quam* Euclidis *demonstrationes. Atque hoc modo propositio hæc* Harpya non est Centaurus, *non minus perspicua est veritas, quam hæc*; Quadratum non est circulus.

Subtilis *vero* hæc omnis conceptuum nostrorum cognitio, cujus usus *est apud eum, qui rerum ipsarum veritatem perscrutatur? Quæ sint notiones aut imagines in mente, haud magni refert, rerum tantummodo cognitionem spectare debemus: Et quidem disceptationi nostræ hinc pretium accedit, atque alterius cognitio idcirco alterius præstantior est, quod de rebus est, prout reapse existunt, non de somniis & inanibus phantasmatibus.*

§. II.

Respondetur, nostram cognitionem non esse phantasticam, ubi ideæ rebus respondent.

AD hoc respondeo, si nostra *idearum* nostrarum cognitio in iis terminaretur, nec, etiamsi vellet, ulterius pertingere posset, in eo casu feriæ nostræ, atque attentissimæ cogitationes somniis hominis malesani nihilo potiores essent: atque veritates, super iis fundatæ, non majus pondus haberent, quam viri sermones, qui, quod in somnio clare viderit, fidenter affirmat. Spero tamen, me, priusquam finem

nem fecero, ostensurum, certitudinem hanc, ex *idearum* nostrarum cognitione, ultra nudam imaginationem pertingere: nec dubito quin sit palam futurum, omnem, quæ in nobis est, generalium veritatum certitudinem non aliunde petendam esse.

§. 3. Perspicuum est, mentem res non immediate, verum *idearum*, quas habet, interventu tantum scire. Nostra itaque cognitio eatenus tantum *vera* est, quatenus *ideæ* nostræ rerum veritati respondent. Quodnam vero hic *criterium* adhibendum erit? Quomodo mens, quæ nil nisi *ideas* suas percipit, eas cum rebus ipsis convenire, sciet? Ut nodum hunc expediam, qui quidem difficilis esse videtur, dicendum est, duo esse *idearum* genera, quas cum rebus convenire, certo scimus.

§. IV.

Primo, *omnes ideæ simplices cum rebus conveniunt*.

PRimo; generis primi sunt *ideæ* simplices, quas, quoniam, ut demonstratum est, mens nequaquam effingere potest, a rebus manare, necesse est, modo naturali in mentem operantibus, eamque ita afficientibus, ut ex summi Architecti sapientia, & voluntate naturæ illarum consentaneum est. Hinc sequitur, *ideas simplices* non esse mentis *figmenta*, verum naturaliter, & regulariter e rebus manare, in nos realiter operantibus; quare in iis omnis ista conformatio, & congruentia reperitur, quam Deus Architectus intendit, aut vitæ hujusce status postulat; res enim nobis sub iis speciebus repræsentant, quas in nobis excitare possunt; per eas enim particularium substantiarum genera distinguere, status illarum cernere, eas ad vitæ usus accommodare discimus. Ita nimirum *albedinis*, aut *amaritudinis idea*, prout est in

in mente potentiæ plane respondet, quæ est in corpore aliquo ad eam ibi producendam, omnem istam realem conformationem habet, quam potest, aut debet habere cum rebus externis. Atque conformitas hæc inter simplices nostras *ideas*, atque rerum existentiam, ad realem cognitionem sufficit (1).

§. V.

Secundo, *complexæ omnes ideæ, ideis substantiarum tantum exceptis.*

SEcundo. *In complexis nostris omnibus ideis, substantiarum tantum exceptis*, cum *Archetypa* sint, quæ a mente ipsa fiunt, non rerum ectypa (2), nec ad entis cujusdam existentiam referantur, tanquam ad exemplaria sua, *nulla conformitas deesse potest, quæ ad realem cognitionem necessario requiritur*. In illud enim, quod non instituitur ad aliud quid repræsentandum præter se ipsum, falsa repræsentatio cadere nequit, nec a rei ullius vera apprehensione nos abducere potest per eam, quam habet cum re ista, dissimilitudinem: hujusmodi, substantiarum tantum exceptis, sunt omnes nostræ *ideæ* complexæ. Hæ, ut alio in loco ostendi, complexiones sunt *idearum*, quas mens arbitratu suo conjungit, sine respectu ad connexionem aliquam, quam in natura habent (2). Hinc est, quod in omnibus hisce generibus *ideæ* ipsæ spectentur tanquam Archetypi, res ve-

---

(1) Hic possit exposci, actu quo objectum eternum obversatur sensibus, quid mutationis tum animæ inest? Si non adest præter quamdam incognitam modificationem, quid animæ signat, objectum reale sibi adesse? Quomodo demum arguitur, idem certum esse, & vera cognitio acquiritur? De hoc videri potest meditationem nostram de somniis &c.

(2) *V. Med. nostr. de somniis.*

vero ipsas eatenus tantum respicimus, quatenus iis conformes sunt. Quare non possumus non certo scire, cognitionem omnem, quam de ideis hisce assequimur, esse *realem*, & ad res ipsas pertingere (3). In omnibus enim hujusmodi cognitionibus, ratiociniis & disquisitionibus, res tantum respicimus, quatenus *ideis* nostris respondent; in hisce igitur certam & non dubiam realitatem nobis obversari semper, necesse est.

§. VI.

Hic patet, cognitionem Mathematicam esse realem.

NUllus dubito, quin facile mihi concedatur, eam, quæ de *veritatibus Mathematicis* comparari potest, non certam solummodo, verum *realem* etiam *cognitionem* esse, non autem inania & vana phantasmata, atque figmenta cerebri; attamen, si animum attenderimus, videbimus, eam nostrarum tantum *idearum* esse. Mathematicus veritatem & proprietates rectanguli, aut circuli contemplantur, quatenus tantum ideæ illarum in mente sunt; fortasse enim is per omnem vitæ suæ curriculum nullas ejusmodi figuras invenit Mathematice, hoc est, accurate & exquisite, veras. Nihilominus cognitio, quam veritatum quarumvis, aut proprietatum habet circuli, aut alterius cujusvis figuræ Mathematicæ, vera est & certa, idque in rebus realiter existentibus: quoniam res, in natura existentes, eatenus tantum in istiusmodi propositionibus considerantur, quatenus arche-

 typis

(3) Si recte arguo, eadem exurgit difficultas. Quomodo anima apprehendit, esse archetypa rerum, per consequens, realem habere cognitionem?

typis in mente ejus realiter conveniunt. Num vere dicitur de *Idea trianguli*, quod tres Anguli iſtius æquales ſunt duobus rectis? id verum eſt de omni triangulo, ubicunque ſit. Si alia quævis figura eſt, quæ *trianguli ideæ* iſti in animo ejus non penitus reſpondet, ad propoſitionem iſtam neutiquam pertinet. Quare certo ſcit Mathematicus, omnem, quam de hujuſmodi *ideis* habet, cognitionem eſſe *realem*: quoniam res non aliter reſpiciens, quam ut iis, quibus imbutus eſt, ideis reſpondent, certo ſcit, omne illud, quod de figuris iſtis cognoſcit, quando *idealem* tantum *exiſtentiam* habent in mente, vere etiam de iis dici poſſe in rerum natura realiter exiſtentibus; iſtas enim figuras tantum contemplatur, quæ, ubicunque, aut quocunque demum modo exiſtant, eædem ſunt (4).

§.VII.

---

(4) Neſcio, an nos de hoc antea diſſeruerimus. Sentio quidem, me hic furore deprehendi contra illos qui adverſum mathematicam clamitant, relegantes eam ad inexiſtentes, ac immaginarias idearum regiones, in quibus non eſt præter calidam cerebroſitatem, qua fantaſticos multoties compenetratos videmus. *O ſeri ſtudiorum?* quid coſtantius, quid certius, quid matheſi evididentius haberi, vel excogitari poteſt? Quando Mathematicus corpus ad examinandum aggreditur, ut illud recte poſſit contemplari, ex ſimplicioribus incipit, & reales non fictitias partes ſibi repreſentat, ac perpendir. Antequam corpus orlretur, adeſſe debet quid, quod corpus non ſit, alioquin non exurgeret, ſed eſſet exortum: per conſequens eſt principium, non principiatum, videlicet incipit habere ſoliditatem, ſed non habet, tenet extenſionem inchoatam non perfectam, & hæc ſit principium extenſionis, hoc eſt linea, verum non completa, alioquin non eſſet quid incipiens, ſed confectum. Hoc quid ergo, quod non eſt corpus, neque extenſio, neque linea, ſed principium lineæ, extenſionis, corporis dicitur punctum, e quo Mathematici ſua ratiocinja exordiuntur, & magnam matheſis molem conficiunt. Punctum itaque, linea, extenſio non eſt quid imaginarium, ac chimericum, ſed quid reale, ac exiſtens, etſi non ſit ſenſibus obvium, revera exiſtit, & certo, realiterque de omnibus quæ in matheſi peragimus, cognitionem habemus.

§. VII.

Et moralem etiam.

HInc ſequitur, *moralem cognitionem certitudinem realem* æque, ac Matheſin *capere*. Cum enim certitudo nihil ſit, niſi perceptio convenientiæ, aut repugnantiæ *idearum* noſtrarum; atque Demonſtratio nihil ſit, niſi perceptio iſtiuſmodi convenientiæ, aliarum *idearum*, aut *mediorum* interventu: cum *morales* noſtræ *ideæ*, æque ac mathematicæ, archetypi, & proinde adæquatæ & completæ *ideæ* ſint, quæ in iis reperietur convenientia, aut repugnantia omnis, cognitionem realem haud ſecus producet, quam ſit in figuris mathematicis (5).

§. VIII.

Ad cognitionem realem existentia non requiritur.

AD *cognitionem*, & certitudinem aſſequendam requiritur, ut determinatas *ideas* habeamus: atque ut cognitio noſtra ſit realis, neceſſe eſt, ut *ideæ Archetypis* illarum reſpondeant. Nec mirum videatur, cognitionis noſtræ certitudinem poſitam a me eſſe *in idearum* contemplatione, reali rerum exiſtentia (ut fortaſſe videbitur) incurioſe nimis prætermiſſa: Cum ſermones ſerme omnes, & diſcrepationes illorum, qui, ſe id ſolum ſtudere, ſimulant, ut, quod verum eſt certumque, exquirant, facta examinatione, *propoſitiones generales*, & notiones eſſe deprehendantur, in quibus exiſtentiæ nullus habetur re-

(5) Repetitiones juxta Lockii morem, nos præterimus eas & lectorem ad noſtram meditationem de demonſtratione, ejuſque uſu remittimus.

respectus (6). Quæ a Mathematicis traduntur de circuli quadratura, sectionibus Conicis, aut alia quavis dispositione in Mathesi, haud *existentiam respiciunt* figurarum istarum; verum demonstrationes, quæ *ideis* subnituntur, eædem manent, sive quadratum aut circulus ullus in mundo sit, nec ne (7). Similiter, veritas & certitudo *moralium* sermonum a vita hominum abstrahuntur, & ab ipsa virtutum, quæ in iis tractantur, existentia (8): Nec, quæ a *Tullio* scripta sunt in *Libro de Officiis*, idcirco minus vera sunt, quod nemo sit, qui ad normam, quæ ab ipso est tradita, vitam penitus suam dirigat, nec virtutis illud exemplar sequatur; quod, quando ille scribebat, nusquam nisi in *idea* tantum existebat. Si cogitatione, hoc est idea, verum est, *Homicidium morte multandum esse*, re quoque ipsa erit verum de omni actione, quæ *homicidii ideæ* isti respondet. Ad alias vero actiones hujus propositionis veritas nulla ratione spectat (9). Idem dicendum est de aliis omnibus en-

(6) De specie, genere, ac propositione universali plura diximus (33. *tom.* 11.), verum permagne conferre puto hic magis eorum ideas enodare. Quando genus consideratur, id habitu mentis fit. Contemplamus tum notas individuorum quæ realia sunt, & in hac mentis operatione non negligimus existentiam, nam notæ ipsæ reales, ac existentes sunt; tantum utpote conjunctas consideramus, quæ revera sejunctæ extant. Si Lockius ergo pro verbis illis *in quibus existentia nullus habetur respectus* intelligit notis existentiam tollere, ad errorem potius ipsius mentis est referendum, quam ad ignorantiam notarum existentiæ, si postea credit, mense in notis spatiari, neglecta perceptione earum existentiæ, non inquit, quam id quod cum propria coscientia internoscitur.

(7) Universalis idea quæ omnibus circulis ac conis convenit.

(8) Sunt effectus actionum liberarum, qui oriuntur a quibusdam animi motionibus (ζζ. *tom.* 1.), & tanquam quid conjunctum consideratur.

(9) Hac super re vide meditationem nostram de voluntate, ac libertate hominis in fine (*tom.* 3.).

entium speciebus, quorum essentia non est alia, quam idearum, quæ sunt in mentibus hominum constitutæ.

§. IX.

Neque idcirco minus vera, aut certa erit, quod ideæ *morales, atque illorum nomina a nobis fiant.*

DIcit aliquis, si *cognitio moralis* in *moralium idearum* nostrarum contemplatione collocatur, atque eæ, prout alii Modi, a nobis fiunt, *justitiæ* & *temperantiæ* quam miræ tunc notiones erunt? Quæ virtutum, & vitiorum confusio, si de iis, quas voluerit, *ideas* effingere, cuivis licitum erit? Respondeo, res ipsæ, aut de iis ratiocinationes, in eo casu haud magis confunderentur, (quam in Mathematicis) confusio esset in demonstratione, aut immutatio in proprietatibus figurarum, atque relationibus ad se invicem, quam si quis in *Triangulo*, aut *Trapetio* construendo, isti quatuor angulos, huic quatuor angulos rectos tribueret, hoc est, ut plane & Latine loquar, si figurarum nomina immutaret, atque illud eo nomine signaret, quod Mathematici alio vulgo designant. Fingat enim sibi quis *ideam* figuræ triangulæ, eamque, si voluerit, *equilaterum* vocet, aut *Trapetium*, aut aliud quid; proprietates *ideæ* istius, & demonstrationes eædem erunt, ac si eam *Triangulum Rectangulum* appellasset. Fateor equidem, eum hac nominis immutatione, propter impropriam istam & novam locutionem, primo iri perturbatum, qui nescit, quænam isti *idea* subsit, quamprimum vero figura ista delineata fuerit, consecutentiæ & demonstratio clara erunt & perspicua. Similiter se res habet in *cognitione morali*; habeat quidam *ideam* actionis, qua quis illud ab aliis, sine illorum consensu, aufert, quod

quod labore & diligentia ipsimet consecuti sunt, eamque, si placet, *justitiam* vocet. Qui nomen hoc usurpaverit præter istam annexam ideam, in errore versabitur, aliam *ideam*, quam nempe ipse habet, nomini isti adjungendo: sin vero *idea* nomine isto nudetur, aut sumatur ita, ut est in mente loquentis, res eædem isti perinde convenient, ac si *injustitia* vocaretur. In rebus quidem moralibus nomina aliena majorem vulgo obscuritatem pariunt, quoniam haud ita facile emendantur, ac in Mathesi, ubi descripta semel & perspecta figura, nomen vanum & inutile est: quorsum enim signum, cum res signata coram est, atque oculis obversatur? In nominibus vero moralibus illud tam facili & compendiaria ratione fieri nequit, propter varias & multiplices compositiones, e quibus *ideæ* complexæ modorum istorum conflatæ sunt. Hæc tamen nominum impositio, quæ contraria prorsus interdum ratione fit, quam uti voces in lingua ista vulgo significant, haud obstat, quo minus certo & demonstrative sciamus, quomodo *ideæ* istæ sibi invicem conveniant, aut repugnent, si, ut in Mathesi fit, nos easdem determinate *ideas* servantes, nec nominibus in errorem abrepti, illarum ad se invicem relationes sedulo investigemus. Si *ideam*, quæ in disceptatione versatur, a signo ejus sejungamus, nos in veritate & certitudine investiganda, quibuscunque sonis utamur, eosdem progressus facturi sumus (10).

§. X.

(10) Quod magis potest opponi est, videre, non omnibus inesse easdem morales ideas. Vidimus permagne apud nationes differre actiones, & vigere apud nonnullas actus nefandos & impios, de quibus laudantur potius, non deprehenduntur, qui impiam vitam degunt (*56. 59. 67. tom.* 1.), ergo certitudinem esse in morali, & eam demonstrationis ope enucleari, idem est ac dicere, posse tot diversas ideas, ac opiniones tam discrepantes inter se in

§. X.

Per nomina, minus recte ideis imposita, cognitionis certitudo non confunditur.

ALiud quid adhuc hoc loco notandum est, quod, si *Deus*, aut alius quivis Legislator, moralia quædam nomina definierint, eo ipso quoque essentiam constituerint speciei, cui nomen illud tribuitur; nec deinde consentaneum est, alium ipsis sensum imponere. In aliis vero occasionibus propria loquendi ratio non permittit, ut quis nomina ista Moralia secus usurpare velit, quam consuetus patrii sermonis fert usus. At neque hoc obstat, quo minus certam cognitio-

---

in unum redigi, ac componi. Sed quis hoc dicere audet? Respondemus, hoc esse difficile profecto, non impossibile vero: Etsi naturæ lumine nos nequimus leges ab ipsa natura præstructas internoscere, quatenus per hoc intelligatur lumen ex se ipso, & quasi nesciente anima nobis proditum (61. *tom.* 1.), verum etiam possumus plurium reflectionum, observationumque ope eas detegere, & certo nobis statuere modo. Quis est inter homines ratione præditus, qui suam existentiam, ac ea omnia quæ conferant permagne ad existentiam ipsam majori, qua possit, felicitate retinendam, nequeat agnoscere, atque sibi statuere omni rationis vi adhibita? Quando diximus, *qua possit felicitate*, non intelleximus profecto illam, quæ fugax, brevis, ac caduca est, ut illa libidinosorum, ebriosorumque hominum, nam innumeras dolendique causas ab ea enasci videmus, quapropter infelicitas potius, non felicitas dici potest. Sed ea quæ ejusmodi in se est, & pænitendi causam non reliquit. Felicitas enim recte definitur per *durabile gaudium*. Et Cicero per cumulatum bonorum complexionem, secretis malis omnibus [*V. lib. V. quæst. Tusc.*] nonnullique alii, per *fruitionem boni* definiunt. Quis ergo non videt, quod quæ ad solidam, diuturnam ac permanentem voluptatem nos dirigit, leges, moraleque conficire, & observationis, ac considerationis ope posse eas enodari, & quadam methodo eas demonstrari luculenter? Nos in meditionibus *de voluntate, ac libertate hominis, & de demonstratione, ejusque usu* ac super re plura explanavimus, quæ possunt videri.

tionem assequamur, si modo *ideas* istas, quibus nomina haud recte imponuntur, contemplemur, atque inter se recte conferamus.

§. XI.

Substantiarum ideæ Archetypos habent extra nos.

TErtio, aliud genus est *Idearum complexarum*, quæ, cum ad *Archetypa* referantur, quæ extra nos sunt, ab iis discrepare possunt, ut proinde nos plerumque veram illarum cognitionem non assequamur. Ejusmodi sunt omnes nostræ substantiarum *ideæ*: Hæ, quoniam congeries sunt *idearum* simplicium quæ putantur a rebus ipsis desumi, prout realiter in mundo existunt, eo nomine ab iis diversæ esse possunt; quod plures habeant, aut alias *ideas*, quam in rebus ipsis conjunctæ reperiuntur. Exinde fit, ut istæ deficere possint, & revera etiam non sint ipsis rebus accurate congruentes.

§. XII.

Quatenus nostræ ideæ cum Archetypis iis conveniunt, eatenus cognitio nostra de iis realis est.

DIco itaque, ut *Substantiarum ideas* adipiscamur, quæ, propterea quod rebus sunt conformes, *realem* cognitionem pariant, haud sufficere; uti in *Modis ideas* conjungere, quæ nullam in se repugnantiam includunt; etiamsi nunquam prius ita existebant, v. g. *Sacrilegii*, aut *Perjurii*, &c. *Ideæ* non minus veræ erant & reales ante, suam post ejusmodi facti existentiam. Nostræ vero *Substantiarum ideæ*, cum Apographa sint, atque ad Archetypa referantur extra nos, ab ente aliquo desumendæ sunt, nunc, aut olim, in rerum natura existente; non vero coagmentandæ

tandæ ſunt ex *ideis* ad mentis noſtræ arbitrium copulatis, ſine exemplari aliquo in rerum univerſitate exiſtente, etiamſi complexum iſtiuſmodi cum ratione pugnare haud deprehendamus. Ratio hujus rei hæc eſt, quoniam, neſcientes, quæ realis ſit ſubſtantiarum conſtitutio, unde noſtræ ſimplices ideæ dependent, & quæ etiam reipſa eſt cauſa, cur quædam ex iis ſint arcte inter ſe colligatæ in eodem ſubjecto, aliæ vero inde excludantur, illarum pauciſſimæ ſunt, de quibus certi eſſe poſſemus, quod poſſint, aut non poſſint inter ſe exiſtere in ipſa natura præter id, quod nobis experientia, & obſervationes ſenſibiles ſuppeditant. Realis itaque omnis *Subſtantiarum* notitiæ fundamentum eſt, ut illarum complexæ noſtræ *ideæ* omnes e ſimplicibus coagmententur, quæ in rerum natura ſimul exiſtere deprehenduntur. Cum *ideæ* noſtræ hoc modo veræ ſint, etſi non ad amuſſim ex Archetypis exſcriptæ, *reali* iſtarum *cognitioni* (quatenus ullam omnino habemus) materiam ſuppeditant. Hæc (ut dictum eſt) haud longe pertingit, attamen *realis cognitionis* nomen obtinet. Convenientia inter ideas noſtras, qualeſcunque eæ ſint cognitio dicenda eſt. Si *ideæ* ſunt abſtractæ, cognitio erit generalis. Ut vero in ſubſtantiis *realis*, dicatur *ideæ* ex reali rerum exiſtentia deſumantur neceſſe eſt. Quæcunque *ideæ* ſimplices in ſubſtantia quadam ſimul exiſtere deprehenduntur, has in unum conjuugere, atque ita ſubſtantiarum *ideas* abſtractas contexere licebit. Quecunque enim conjunctionem in natura ſimul habuere, iſta conjungi iterum poſſunt (11).

§. XIII.

(11) V. adn. 33. tom. II.

§. XIII.

In disquisitionibus nostris circa substantias, necesse est; ideas spectemus; non vero cogitationes nostræ solis nominibus illigandæ sunt, aut speciebus, quæ nominibus definitæ sunt.

HOc si rite contemplaremur; & non *cogitationes*, atque abstractas *nostras ideas* nominibus perinde *illigaremus*, quasi non alia esse possent entium *genera*, præter ea, quæ notis nominibus ante definita sunt, rerum contemplatio in nobis liberior fortasse, quam nunc, & minus confusa esset. Credo equidem, homines me, inauditum paradoxum saltem, si non, quod perniciose falsum est, loqui arguerent; si dicerem, quosdam *fatuos*, qui per quadraginta annos vixerunt; nec minimam præ se tulerunt rationis speciem, medium quiddam esse inter *hominem* & *bestiam* (12): præjudicium hoc inde provenit, quod falso supponatur, nomina hæc, *hominem* nempe & *bestiam*, denotare species distinctas, quæ realibus essentiis ita terminentur, ut non alia species inter eas intervenire possit. Quod si nos cogitationes nostras a nominibus istis, &, quæ a natura fiunt, specificis essentiis abstraheremus, quarum, quæ idem nomen habent res omnes ex æquo sunt participes: Si non nostra esset opinio, esse definitum harum essentiarum numerum, quarum ad exemplar omnia fingantur, compertum haberemus *ideam* figuræ motus, & vitæ in homine, rationis experte, non minus distinctam *ideam* & *speciem* constituere, ab homine & bestia diversam, quam *idea* figuræ in *asino*, rationis participe, ab hominis, aut bestiæ idea distingue-

(12) *V. Med. nostr. de anima brutorum tom. II.*

gueretur, atque species esset animalis, distincta ab utroque (13).

§. XIV.

Objectioni respondetur, quæ dicitur, fatuos medium quid esse inter homines & bestiam.

HIc dicet aliquis, si *amentes* quid medium sunt inter hominem & bestiam; rogo, quid sunt? Respondeo, *amentes*; quo nomine quidni res, quæ significetur, dissidens a significatione *hominis*, aut *bestiæ*, ac nomina ista *homo* & *bestia* res diversas significant? Rem hanc si animis intentis intueremur, quæ hic a me traduntur, omnes facile intelligerent. Fervidus vero iste quorundam zelus, qui putant, multas exinde se quiperniciosas sententias, & rerum religionis in periculum ab iis vocari, qui a prisca loquendi formula paulum recedunt, non me latet adeo, ut nesciam, quomodo me, hæc loquentem, conviciis insectaturi sint: &; scio, rogabunt, si *amentes* in medio interjacent inter hominem & bestiam, in futura vita qua forte fruentur: Ad hoc respondeo primo: Illud scire haud nostra interest: cadant (*) aut stent, hoc ad ipsorum Dominum spectat. Sive nos itaque de illorum conditione quid statuamus, sive non statuamus, hæc neque melior, neque deterior exinde

 fiet.

(13) Quid obstat? Essentia dicitur id per quod res præcise est ipsa res, nec alia (2. *tom.* 1.), si ergo alicui, rei cujuscunque naturæ sit, deficit quædam nota, eadem non remanet res. Homo, si, ut dicatur homo, debet esse ratione particeps, & ipsa ratione caret, homo recte dici nequit. Ut Asinus, si asini ideam constituit forma ipsius asini una cum rationis defectu, supposita ei ratione, non asinus exurgit, vel profecto idem non est, & nova idea eget, qua ille indicatur.

(*) Verba hæc Autor noster depromsit ex Rom. XIV. 4.

fiet. Deum penes est fortunæ illorum arbitrium; Pater ille benignus est, nec in creaturis suis remunerandis, aut regendis per angusto rationis nostræ modulo utitur, neque juxta nomina, a nobis excogitata, species illarum constituit. Nec decere puto, ut nos, qui in hoc, quem incolimus, orbe tam pauca admodum scimus de diverso isto statu decerneremus, quem creaturæ omnes vita hic defunctæ, initura sunt. Scire sufficit, Deum palam fecisse omnibus, quos disciplinæ, sermonis, & rationis compotes fecit, ipsum eos in judicium adducturum, & singulos secundum ea, quæ (**) fecerint, præmiis aut suppliciis remuneraturum.

§. XV. *Secundo* respondeo, vim hujus quæstioni (nimirum, an status futurus *fatuis* denegandus sit?) suppositione gemina fundari, quarum utraque falsa est. Prima est, res omnes, in quibus figura est & exterior hominis species, post vitam hanc immortale ævum manere. Vel Secundo, id dicendum esse de re omni, quæ partus humani est. Sublatis hisce opinionibus, quæstiones istæ perridiculæ erunt. Velim ii omnes qui censent inter semet & *fatuos* non nisi accidentalem esse differentiam, cum in utriusque eadem sit essentia, in animo secum considerarent, utrum revera censeant immortalitatem cum exteriori aliqua corporis figura connexam esse; ac interrogatum quid daturi sint responsi, quis non videt? Nam non credo, ullum unquam extitisse hominem, adeo mente immersum materiæ, qui crassæ & inertis materiæ formæ exteriori tantam tribuerit præstantiam, ut affirmarit, vitam æternam isti necessario esse annexam; aut molem ullam corpoream, soluta hic compage, ad statum iterum sempiternum, sensus, perceptionis & cognitionis compotem, idcirco revocari pos-

(**) Vide 2. Corinth. V. 10.

posse, quod hac, aut illa figura & partium conformatione prædita fuerit. Opinio hæc, quæ certæ cuidam figuræ immortalitatem illigat, efficit; ut homines non opus habeant, tam multa amplius de anima, aut spiritu differere, cujus solius gratia entia quædam corporea hactenus immortalium nomen obtinuerunt, alia non item. Hoc qui faciunt, exteriori rerum superficiei plus tribuunt, quam iis, quæ intus latent; atque hominis præstantiam magis in figura corporis, quam in animi dotibus collocant; hoc perinde ferme est, ac si illud Dei insigne & inæstimabile immortalitatis, & vitæ sempiternæ donum, qua aliis omnibus entibus corporeis homines antecellunt, modo illi attribuerent, quo ipsorum barba est tonsa, aut amictus conformatus. Non enim hæc aut illa externa conformatio, & figura nostri corporis magis præ se fert spem immortalitatis, quam, propter amictus formam, ipsam in æternam duraturam, aut eum fore immortalem, sperare licet. Dices fortasse, neminem sibi imaginari, figuram exteriorem rem quandam immortalem efficere, esse vero indicium habitantis intus animæ rationalis, quæ immortalis est. At quis eam rei istiusmodi indicem effecit? Quomodo istud demonstrari potest? Non mihi constat, ullam figuram ea lingua loqui, hoc est, ejusmodi quid per se designare. Quidni æque statuamus defunctum cadaver, in quo non alia motus, aut vitæ vestigia, quam in statua quadam inveniuntur, animam tamen rationalem propterea intus habere, quod hominis figuram habeat; ac in *Amente* dicimus, animam rationalem esse, quod exterius speciem habeat animalis rationalis, etiamsi per vitæ totius curriculum haud in eo rationis tantum, quantum multis in brutis elucet (14)?

B 2 §. XVI.

(14) Hic Lockius male arguit, vel incongrue est hic cunctatus. Error oritur ex opinione, non requiri animam spiritualem

§. XVI.

Monstra.

AT *Amens* hominum proles est ratione præditorum, ideoque non potest non animam rationalem habere (15). Non cogitatione assequi possum, secundum quas Logicæ regulæ ejusmodi consequentia formetur; quæ certe nullibi locorum approbatur, si enim hoc ita se haberet, quomodo homines, uti omnino fit, partus, prodigiose formatos, statim necandos traderent? At, inquis, hi monstra sunt. Demus illud; quid excors, & indocilis iste *fatuus* hisce præstat? Num corporis vitium *monstrum* efficit; animæ vero, (quæ nobilior, &, ut communiter dicitur,

---

lem ad simplicem perceptionem. Hac super argumentari sumus in meditatione nostra de anima brutorum [*tom.* II.] ; quapropter, si percipit fatuus, ac amens animum habere debet. Quod hæc sit naturæ illarum quibus sagaciores homines sunt præditi, luculenter patet ex fine, quo fatui, amentesque fuere constituti ; vel saltem ex organizatione ad hominum munera exercenda efformata, quidquid afferat Lockius, vel dicere curet: essent secus frustra exorditæ tot partes ad unum modum directæ, nec natura esset consonans in suis operationibus. Nunquam asinus fuit anima hominis præditus, ex eo quia nunquam natura est a suo fine ac lege demigrata, quid absurdius ergo, quam dicere ea in hominibus a lege sibi ipsa præposita demigrari, & hominem absque hominis anima componere? vel conferre omnem hominis costructionem præter principium quod ipsam costructionem activam reddit, & finem fini illidere? Quod postea actus ratiocinandi deficiat; id evenire videmus a fibrillis cerebri minus aptis ad Ideas menti suppeditandas, ut antea demonstravimus [34. *tom.* II.], quapropter apud animam est potentia, non actus ratiocinandi [108. *tom.* I.]. Nostro ergo sistemate, vides, quot difficultates auffugimus, e quibus, nos alioquin expediri posse, impossibile videbatur.

(15) Melius: est instar hominis efformatus, ergo hominis proprietates non potest non habere.

tur, magis essentialis pars est) non (16) item? Nam qui naso carent, aut collo, *monstra* vocabuntur, & ex hominum *albo* eradentur; illi vero non, qui mentis & rationis sunt expertes? Hoc plane est illud repetere, quod modo explosum erat: Omnia in figura exteriori collocare, atque hominem forma corporis metiri. Ut clare ostendamus, homines, juxta communem in hac re argumentandi rationem, speciei hominis totam essentiam (prout ab iis constituitur) ad formam exteriorem referre, utcunque illud absurdum sit, atque ab iis ipsis negetur, satis erit, ut quid cogitent, & quæ ab illis fiant, propius intueamur. *Fatuum* istum, in quo apta est membrorum conformatio, animam habere rationalem, etiamsi non ea cernatur, extra dubium esse, dicunt. Sint aures longiores, & acuminatiores, & nasus depressior paulo,

[16] Distinguendæ sunt partes a partibus ; ad functiones vitales sunt aliæ destinatæ, aliæ ad naturales, ad animales denique aliæ. Si primæ deficiunt, vita deficit, ut & est hæc diminuta, vel depravata, si illæ diminutæ, vel depravatæ deprehenduntur: pariter de aliis functionibus dici debet. Mobilitas, ac elasticitas spirituum animalium, nec non cerebri fibræ, hoc non illo modo constitutæ, sunt partes ad animales functiones dicatæ, nimirum ad immaginationem, memoriam, reminiscentiam [*V. Med. de mem. reminisc. ac phant. t* 11.], judicium ratiocinium [23. *t.* 11.], ergo ratione qua eædem partes, animalibus functionibus dicatæ, imminuuntur, depravantur, vel alterantur; imminuitur, depravatur, alteraturve judicium, ratiocinium, memoria, reminiscentia phantasia. cæteræque animi functiones. [*V. Med. nostram de somnijs tom.* 11.], & immemor, ac fatuus exurgit. Hinc fit, quod post quasdam ægritudines homines perspicacioris ingenii fatui evadunt. Abbas Saurus in suis metaphisicæ elementis [*V. tom.* 1. *p.* 80.] refert ex Tucidite, quod homines peste laborati ejusmodi labefactam deinde habuere memoriam, quod non amplius se internoscebant ad invicem, nec suorum sodalium recordabantur, etsi objecta præsentia perbelle distinguebant. Theodosius de Bezza de recentioribus rebus obliviscebatur, dum de veteribus commemorabatur perfecte (*V. Thuan. L.* 134.).

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lo, quam pro more solito, tunc hæsitare incipiunt, Si facies sit angustior adhuc, depressior, & longior, quid dicendum sit, magis dubitant. Si bruti formam magis adhuc magisque referat, atque caput plane habeat alterius cujusdam animalis, tunc statim *monstrum* dicitur; atque hinc arguitur, partum illum non habere animam rationis participem, verum e medio tollendum esse. Rogo itaque, quænam erit certa mensura, quam definiti termini figuræ istius, quæ rationalem animam sibi annexam habet? Cum enim fœtus humani editi in lucem fuerint, quorum dimidia pars hominem, dimidia bestiam; atque aliis, quorum trinæ partes bestiam, unica pars hominem referebat: Fieri etiam potest, ut per varios gradus proprius ita ad unam aut alteram speciem appropinquent, ut in iis hominis, aut bruti similitudo diverso modo temperetur. Scire velim, quænam certa sint ista lineamenta corporis, quæ rationalis animæ consortium admittant, eamve aspernentur: Incolæ istius interius habitantis, quæ forma exterior index erit? Quamdiu hoc non definitum fuerit, omnis nostra de *homine* disputatio inepta erit & nugatoria; nec res ista melius se habebit, quamdiu nos certis quibusdam sonis utimur, & in ea opinione manemus, esse in natura, nescio quas, fixas & stabiles rerum species, Notandum tamen est, eos, qui, se hanc objectionem diluisse, putant, dicendo, *fœtum* informem esse *monstrum*, in illud, quod vitare velint, vitium incurrere, speciem constituendo inter hominem & bestiam. Vox enim *monstrum* (si quid omnino) ens significat, quod neque homo est neque bestia, verum quid medium inter utrumque; idem de memorato superius *fatuo* dicendum est (17). Unde patet, specierum & essen-

(17) Confunditur hic essentiale cum accidentali. Accidens est, fatuum oriri, essentiale postea animam habere. Quid repu-

essentiarum communem notionem rejiciendam esse, si facultatum nostrarum viribus uti, rerum ipsarum, prout animo obversantur, naturam potius contemplari, quam cerebri nostri figmenta sequi velimus.

---

pugnat in fatuo animam considerare ? Non fiunt in illo speditius animales functiones ; at fiunr nonnullæ, ergo adest illi anima. Qua ratione hæc esse nequit ejusmodi naturæ, ac animæ hominis ? Non haber eadem attributa ? audacter negamus. Percipit, vel non: si posterius, dici debet, nec etiam functiones naturales illi inesse, ergo famem non sentit, doloribus non conqueritur, excretiones deficiunt, per consequens vivere nequit; si primum, caracter est animæ spiritualis (*V. med de anima brutor. tom.* II.), & est animabus humanis similis, secus non esset cum eodem fine creata. Ulterius. Si ex functionibus animalibus expeditius, alacriusque factis debet argui spiritualis, vel humana anima nobis inesse, esset tempus in quo omnino eamdem nobis negare debemus, ut somni tempore, & tempore quo affectionibus laboramus. Ecquod ratiocinii adminiculum, & dicam quoque perceptionis invenietis in homine febri nervosa correptus ? Porro nullum. Accedit quod si ratione graduum perspicacitatis anima ab anima hominum distingueretur, nos dicere debemus, tot animarum species hominibus inveniri, quot sunt ipsi homines; omnes enim quot quot sumus, ab altero ratiocinatione, memoria, cæterisque animæ functionibus gradu differimus. Ceteroquin supponatur gradus perspicacitatis, ratiocinii augeri, vel dimininui progressione crescente, adeo ut incipiens ab infimo gradu in quo constituamus fatuos, ac amentes, desinat in magnum ac elevatum, in quo ponamus perspicaciores, ac philosophos: Medii termini designanr ceteros homines qui ab una, alterave classe legitime excluduntur. Peto hinc. Hæc permagna discrepantia quonam reperitur ? in quantitate, vel qualitate ? Si posterius; ratiocinium non ad unum modum fit, quod est contra sensum comunem, si primum, quantitas non dat rei naturam; per consequens exurgit diversum *numero*, *non diversum specie* (*tom.* I.) ratione perspicacitatis, qua homo gaudet.

Quid dicemus modo de monstris ? Concedi debet nec ne illis animam spiritualem, & hominibus similem ? Ecqua erit nota illam designans ? Hac super re me paucis expediam.

Anima a supremo nostro conditore fuit duobus finibus nobis lar-

§. XVII.

Voces & distinctio rerum in species nobis imponunt.

Hujusce rei tractationem hic necessariam duxi, quoniam cauto opus est, ne *voces* & *species*, prout vulgo sumuntur, nobis imponant: Puto enim, progressus nostros ad claram & distinctam, substantiarum præsertim, cognitionem ab iis maxime impedi-

---

largita. 1. ut humanum corpus informet, 2. ut incolet cœlum, postquam soluto munere a legibus non demigrante, & corpore ipso recedit. Videndum ergo, an in monstris hi duo fines supposita animæ præsentia, retineri possint, vel contra nullo modo fines ipsi obtineri. Si primum anima inest; si secundum deficit necesse. Quomodo enim potest anima humana monstro inesse, si corpus illius nequit actiones humanas proferre? Si nequit, quomodo merita nanciscei, ut cœlum incolet? Monstrum percipit. Ergo animam haber. Est postea ipsius naturæ hominis, credo, nequaquam posse dici. Audite quod lego in actibus Lypsiensibus an. 1682. *Relatio de monstro vitulino humano*. „ Exhibuit flumen quam Cizam alluit, juxta legum Boinitz, die 17. Julii 1681. Monstrum horrendum, cujus cervici vitulino appositum erat caput humanum. Hujus in superiore parte eminebat velamentum membranaceum mitriforme corrugatum: frons spithamam excedebar, & ubi desinit, oculi erant clausi, e quorum regione in utroque latere erigebantur aures felinis non majores Nasum (deficiebat verum sinistrum foramen) habebat depressum: os patulum, utrinque dentatum. Mentum ornabant pili barbam caprinam metientes, Collum videbatur elongatum: pectus vitulinum cum anterioribus pedibus: posteriores suillaque cauda, in extremo pilosa. Cæterum totius monstri cutis nigricans erat, ac pilis nuda sexusque monstrum feminei. Interiorum examen vehementissimus fœtor proibebat. “ Pariter Livius commemorat monstrum, quod appellat porcum cum capite humano præter infinita alia quæ passim legi possunt.

Si anima haberetur per traducem, soluta esset quæstio, standum enim erat ad originem. Hac de re pulchra est decisio ab Æsopo facta, quam in fabellis legimus. *Ha-*

pediri; atque difficultates, quibus veritas, & certitudo implicata, atque impedita est, ortum exinde magna ex parte habuisse. Si contemplationes, & ratiocinia nostra a vocibus sejungere assuesceremus, haud mediocre illud remedium esset huic malo, quod in ipsis cogitationibus nostris residet; at sermo tamen noster cum aliis obscurus esset & ambiguus, quamdiu in nobis opinio ista permaneret, *species* & illarum essentias aliud quid esse, præter abstractas nostras *ideas* (quales sunt) cum nominibus annexis, ut signa sint illarum (18).

§. XVIII.

Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite: monstro exterritus
Ad consulendos currit mærens hariolos.
Hic pertinere ad domi respondet caput,
Et avertendum victima periculum.
Ille autem affirmat, conjugem esse adulteram,
Et insitivos significari liberos:
Sed expiari posse majori hostia.
Quid multa? variis dissident sententiis,
Hominisque curam cura majore aggravant,
Æsopus ibi stans, naris emunctæ senex,
Natura nunquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis ostentum, rustice,
Uxores, inquit, da suis pastoribus.
(*Phædr. Fab.* III. *lib.* III.).

Sed ex eo quia, ut diximus (102. *tom.* I.) est a Deo anima creata, ac inhalata corpori, debemus fateri, illam non intrudi, nisi corpus ad hominum munera exercenda sit aptum, alioquin operaretur contra finem, per consequens monstruo viventi animam humanam inesse negamus.

(18) Hæc est, ut censeo, magna confusionis origo. Complures ad nomina adhærent, & quid reale in illis ponunt ejusmodi, quod credunt multa scire si hæc nomina memoria possint retinere, quapropter omnis labor ab eis hic repositus, reliqua non curant. O Reipubblicæ litterariæ fatum! Scioli hinc exurgunt, & superficiales scientiæ efformantur.

§. XVIII.

Ἀνακεφαλαίωσις.

UBicumque *idearum* nostrarum quarumcunque convenientiam, aut repugnantiam cernimus, ibi certa est cognitio; quandocunque certo scimus, *ideas* istas cum rebus ipsis convenire, ibi certa est rerum cognitio. Cujus convenientiæ *idearum* nostrarum cum rebus ipsis, cum signa hic tradiderim, in quonam vera & *realis certitudo* consistat, a me ostensum esse, puto. De hac quid alii sentiant, nescio, olim equidem, fateor inter *desiderata* ista a me numerabatur, quæ magno usui esse *censebam*.

C A P. V.

De Veritate in genere.

§ I.

Veritas quid?

VEritas *quid est*, lapsis jam multis seculis quærebatur, de ea quoniam mortales omnes solliciti sunt, aut se esse simulant saltem, in quonam posita sit, operæ pretium erit, diligenter exquirere; quo naturam istius ita perspectam habeamus, ut videamus, quomodo mens eam a falsitate secernat.

§. II.

§. II.

Recta conjunctio aut disjunctio signorum, hoc est, idearum aut vocum.

MIhi itaque *veritas* nihil aliud denotare videtur, quam *Signorum conjunctionem, aut disjunctionem, prout res signatæ sibi invicem conveniunt, aut repugnant.* Per *conjunctionem*, aut *disjunctionem* signorum hic illud intelligo, quod alio nomine *propositio* dicitur. Veritas itaque propositiones tantum respicit; propositio duplex est, *mentalis* scilicet & *verbalis*; prout duobus signis utimur, *ideis* nempe & *vocabulis*.

§. III.

Mentales aut verbales propositiones quomodo fiunt.

UT veritatis claram notionem assequamur, necesse est, ut veritatem cognitionis, & verborum veritatem a se mutuo sejungamus. De iis vero seorsim tractare perdifficile est. Quoniam fieri nequit, quin nos, mentales propositiones tractantes, nominibus utamur; tunc, quæ *mentales* erant, fiunt propositiones *verbales*. Cum enim mentalis propositio nihil sit, nisi *idearum* contemplatio, prout in mente existunt nominibus nudæ, propositionum pure mentalium naturam amittunt, quam primum nominibus subjiciuntur.

§. IV.

§. IV.

Mentales propositiones tractare difficile est.

MEntales & *verbales propositiones seorsim tractare*, hinc *difficilius* adhc efficitur, quod plerique omnes, quando mente sua quippiam cogitant, aut ratiocinantur, verbis, *idearum* loco, utuntur; certe, quando illud, quod mente agitatur, complexas in se *ideas* continet. Unde patet, ejusmodi *ideæ* nostræ quam imperfectæ sunt, & incertæ, atque nobis ad illud diligenter attendentibus, indicio esse potest, quæ res claras in nobis & stabiles habeant *ideas*, quæ non. Si rationem enim studiose animadvertamus, qua mens nostra in cogitando utitur & ratiocinando, manifesto, puto, deprehendemus, quoties propositiones quædam in mente fiunt, circa *album* aut *nigrum*, *dulce* aut *amarum*, *triangulum* aut *circulum*, nos posse, & quidem actu, *ideas* ipsas in animo effingere, nomina haud quaquam intuentes. Quando vero *ideæ*, magis complexæ, *hominis* puta, *vitrioli*, *fortitudinis*, *gloriæ*, cogitationibus nostris, aut propositionibus materiam suppeditant, nomen communiter *ideæ* loco ponimus; cum enim *ideæ*, nominibus istis signatæ, imperfectæ ut plurimum, confusæ, & indeterminatæ sint, quoties propositiones tacite in mente conteximus, aut meditamur quempiam, *ideis* prætermissis, ad nomina recurrimus, quoniam magis clara, certa, & distincta sunt, & facilius semet cogitationibus exibent (19). In *substantiis* hoc, ut superius notatum est, ex *idearum* nostrarum imperfectione accidit, ut nomen usurpemus pro reali essentia, cujus nullam omnino *ideam* habemus. In *Modis*, id fit propter ingentem multitudinem *idearum* simplicium,

(19) *V. Analys. Intell. hum. adn. tom. 1.*

cium, e quibus coagmentantur. Quoniam enim plurimi illorum multifariam componuntur, nomen facilius occurrit, quam *idea* ipſa, quæ ut colligi & menti accurate repræſentari poſſit, magno studio & tempore opus eſt, nec ii negligendi ſunt, qui antea in omnibus his diverſis ideis inveſtigandis elaborarunt; ab iis vero fieri nequaquam poteſt, qui, quamvis voces pleraſque omnes in ſermone patrio communiter uſurpatas, in memoria teneant, maximæ tamen parti illarum, quænam *ideæ* ſubſint, haud fortaſſe ſecum unquam reputarunt. Confuſæ quædam & obſcuræ notiones ſatis ipſis fecere; atque plurimi qui de *Religione* & *conſcientia*, de *Eccleſia* & *fide*, de *poteſtate* & *jure*, de *obſtructionibus* & *humoribus*, de *melancholia* & *cholera* multa loquuntur, pauca, fortaſſe, in animis haberent, ſi quis rogaret, ut, miſſis nominibus iſtis, quibus aliorum toties, & non raro ipſas mentes ſuas confuderunt, de rebus ipſis tantummodo cogitarent (20).

§. V.

Quoniam nihil ſunt, niſi idearum *conjunctio, aut ſejunctio ſine vocibus.*

UT vero ad veritatis contemplationem iterum redeamus. Notandum, inquam, duo eſſe propoſitionum genera, quæ a nobis fieri poſſunt.

Primo, *Mentales*, quando mens, *Idearum*, quas habet, convenientia aut repugnantia percepta, eas, ſive

(20) Id evenit profecto ex habitu meditandi neglecto: Ratio qua mathematici ad ſcientias aptiores ſe reddunt, eam eſſe, exiſtimo; nimirum, quia omnia perpendunt ac evolvunt, nec in antecessum eunt, niſi ex ſimplicioribus ideis incipiant; vel contra redeant ad notiones ſimplices, & in omnibus contemplent modis, quos ſuſcipere poſſint, in quo vera eſt ſcientia.

five verborum ufu *conjungit*, aut a fe muto *fejungit*.

Secundo: *Verbales propofitiones*, quæ *vocabula funt*, *figna nempe idearum noftrarum*, *quæ in enunciatis affirmativis aut negativis conjunguntur*, *aut disjunguntur a fe invicem*. Unde patet, propofitiones effici conjungendo aut fejungendo figna, eafque veras effe, quando figna ifta de fe invicem affirmantur aut negantur, prout convenientia eft aut repugnantia in rebus, ab iis fignatis.

§. VI.

Quando mentales & verbales propofitiones realem quandam veritatem contineant.

SUa quemque experientia docebit, mentem, quando videt aut fibi concipit quarundam ex *ideis* fuis convenientiam aut repugnantiam, tacite ex iis fpeciem quandam affirmativæ aut negativæ propofitionis efficere, quod ego putavi per voces ifta *conjungere* & *disjungere* apte exprimi. Hæc autem mentis actio, quæ tam vulgaris & ufitata eft in iis omnibus, qui cogitant aut fecum quid ratiocinantur, concipitur facilius, illud animadvertendo, quod in nobis fit, quando affirmamus aut negamus, quam verbis explicatur. Quando quis in animo *ideam* habet linearum duarum, *lateris* nempe & *diagonalis* quadrati, quarum *diagonalis* pollicem unum longa eft, fieri etiam poteft, ut *ideam* habeat divifionis lineæ iftius in partes quafdam æquales, verbi caufa, in quinque, decem, centum, mille aut plures alias, & poteft etiam habere ideam hujus lineæ unum pollicem longæ, tanquam capacis, aut non capacis ejufmodi divifionis in partes æquales, quarum certus quidam numerus laterali lineæ æqualis fit. Quandocunque itaque videt, aut putat quidem, ejufmodi divifi-

visibilitatem *ideæ* lineæ istius convenire, aut non convenire, ille *lineæ* istius, & ejusmodi divisibilitatis *conjungit*, aut *sejungit ideas*, atque ita *mentalem* propositionem contexit, quæ perinde aut vera, aut falsa est, prout inter divisibilitatem in partes aliquot, & lineam istam revera convenientia est, aut repugnantia. Atque ubi *ideæ* junguntur, aut *sejunguntur* in mente juxta illarum cum rebus ipsis convenientiam aut repugnantiam, tunc *mentalis veritas* dicitur. *Verbalis* autem *veritas* aliquid amplius est, verborum nempe de se invicem affirmatio aut negatio, prout inter *ideas*, quarum signa sunt, convenientia est aut repugnantia: Hæc etiam duplex est, *pure verbalis* sive nugatoria, de qua mox dicendum erit, *Cap. X.* aut *Realis*, quæ objectum est realis istius cognitionis, de qua supra.

§. VII.

Contra verbalem veritatem objicitur, quod hoc modo fieri possit, ut omnis cognitio imaginaria sit.

AT hic iterum circa Veritatem eadem accidere potest dubitatio, quæ prius circa Cognitionem: *Dicent, si veritas nihil est, nisi junctio aut sejunctio verborum in propositionibus, prout ideæ, quas denotant, in mente conveniunt, aut sibi invicem repugnant,* cognitio istius veritatis haud magni æstimanda est; *nec digna, in cujus investigatione homines id, quod vulgo fit, temporis & studii impenderent: prout enim hic describitur, quid aliud est, quam vocum congruentia cum cerebri figmentis, quæ in multis inepta sunt & somnia plane lymphatica? Quis vero ignorat, quam miris notionibus multorum mentes scateant, & quas absurdas ideas sibi in cerebro effingere omnes homines possint? Per hanc itaque regulam nullius rei veritatem*

co-

cognoscimus, nisi phantasmatum in mente nostra; ne quid verius dicitur de hominibus & equis, quam de Harpyis & Centauris. *Hæc enim & similia* ideæ *sunt in mente constitutæ, atque ibi convenientiam suam & repugnantiam, & proinde veras propositiones, non minus habent, quam* ideæ *entium realium. Atque propositio hæc*, Omnis homo est Animal, *non vera magis & certa erit, quam hæc*, Omnis Centaurus est Animal. *In utraque enim termini conjunguntur juxta* idearum *in mente convenientiam: Atqui* idearum Animalis & Centauri *menti æque perspicua est, ac* Animalis & hominis *convenientia. Ejusmodi autem veritates omnes quem usum habent?*

§. VIII.

Respondetur, veritas realis est circa ideas quatenus rebus conveniunt.

ETiamsi, quod in superiori capite diximus, inter realem & imaginariam cognitionem discrimen statuentes, ad *realem cognitionem* ab *imaginaria*, aut (si mavis) *pure nominali* distinguendam sufficit, cum utriusque idem sit fundamentum; non tamen ab re erit, hic iterum notare, quod licet voces nostræ nihil, præter *ideas*, significent, cum tamen ad res signandas adhibeantur, *veritas* illarum propositionibus quando continentur, *verbalis* tantum erit, quoties pro *ideis* in mente substituuntur, quæ non cum rebus ipsis conveniunt. Veritas itaque perinde ac Cognitio, apte potest in *Verbalem* & *Realem* distingui; cum *verbalis veritas* ea tantummodo sit, in qua terminos conjungimus juxta convenientiam aut repugnantiam *idearum*, quas designant, nullo respectu habito ad *ideas* ipsas, utrum revera existant, aut in rerum natura existere possint. *Realem* vero *veritatem* tunc propositiones continent, quando signa hæc jungun-

guntur juxta *idearum* convenientiam; cumque scimus, *ideas* nostras in rerum natura existere posse: in substantiis vero id sciri nequit, nisi, ideas istiusmodi actu extitisse, revera compertum habeamus:

§. IX.

Falsitas est, quando nomina aliter junguntur, quam ideæ illorum sibi invicem conveniunt.

VEritas est in verbis notatio convenientiæ aut repugnantiæ *idearum*, prout revera se habet. *Falsitas* est in verbis notatio convenientiæ aut repugnantiæ idearum aliter, quam se habet. Atque *veritas* eatenus *realis* est, quatenus *ideæ* istæ, sonis ita designatæ, illarum Archetypis respondent. Hujus veritatis cognitio in hoc consistit, ut ideas noscamus, quæ vocibus istis denotantur, atque illarum percipiamus convenientiam aut repugnantiam, prout vocibus istis notatur.

§. X.

Propositiones Generales fusius tractandæ sunt.

QUoniam autem voces canales vehicula esse censentur, per quæ veritas & rerum cognitio in mentem derivatur, atque nos, de hisce quoties disputamus, terminis & propositionibus utimur; ideoque rerum veritatis certitudo, quæ in propositionibus continetur, quid sit, atque undenam comparari possit, fusius hic investigabo; atque ostendere hic conabor, in quibusnam propositionibus universalibus nos, utrum veræ sint, an falsæ, certo scire possimus.

Initium sumam a propositionibus generalibus, quæ contemplationi & cogitationibus nostris materiam præ-

cipue suppeditant. Mens in *veritates generales*, per quas cognitio nostra maxime augetur, præcipue intenta est; illæ, quarum intra ambitum particularia multa comprehenduntur, contemplationi nostræ campum simulatissimum, & proinde breve iter ad rerum cognitionem, aperiunt.

§. XI.

Veritas Moralis & Metaphysica.

PRæter veritatem eam, quæ memorato prius stricto sensu sumitur, alia veritatum genera sunt; I. *Veritas Moralis*, quando illud loquimur, quod in mente persuasissimum habemus, licet fortasse propositio ista haud rerum veritati respondeat. II. *Veritas Metaphysica*, quæ nihil est, nisi realis rerum existentia, *ideis* respondens, quibus illarum rerum nomina illigata sunt. Hæc, etiamsi in rerum ipsarum existentia posita esse videtur, propius tamen inspecta, propositionem tacite in se includere, deprehendetur, per quam mens rem istam particularem fixæ & stabilitæ prius *ideæ*, & cui impositum est nomen, adjungit. Hasce autem veritates, utpote aut superius satis tractatas, aut ad nostrum hoc institutum parum spectantes, per quam breviter hic perstringere satis est (21).

CAP.

(21) Hac de re potest videri *adn.* 122. *t.* 1.

CAP. VI.

De Propositionibus universalibus, atque illarum veritate & certitudine.

§. I.

Verborum tractatio ad rerum cognitionem necessario requiritur.

ETiamsi, *ideas* per se, nulla habita istarum nominum ratione, contemplando & examinando, clara & distincta cognitio melius acquiritur: hoc tamen, puto, rarissime propterea fit, quod consuetudo adeo inveteravit, sonos pro *ideis* usurpandi. Nemo non videt, quam familiare sit hominibus, nominibus vel tunc pro ideis ipsis uti, quando aliquid secum in mente agitant aut ratiocinantur; præsertim si *ideæ* multum fuerint complicatæ, & ex multis simplicibus conflatæ. Hinc efficitur, *verborum & propositionum* contemplationem, *ad cognitionis pertractationem necessario adeo requiri*, ut, nisi ista explicentur, hanc tractantes haud facile intelligamus (22).

(22) *V. Anal. intell. hum. adn. Ⅱ. vi. tom. 1.*

§. II.

Veritates generales haud facile intelliguntur, nisi in propositionibus verbalibus.

Omnis nostra cognitio, vel particularium est vel *generalium veritatum*; in priori, utcunque se res habeat, certissimum est, posteriorem, quæ haud immerito maxime exquiritur, *rarissime a nobis apprehendi posse, nisi quatenus vocibus subjicitur*. Quare haud alienum erit a nostro hoc instituto, qui cognitionem nostram contemplantur, propositionum universalium veritatem, & certitudinem investigare.

§. III.

Certitudo duplex, verietatis & cognitionis.

Ne vero hic ab eo, unde periculum est ubique, terminorum nempe ambiguitate, in errorem deferamur, notandum est, certitudinem esse duplicem; *veritatis* nempe, & *cognitionis*. *Veritatis certitudo* est, quando voces in propositionibus ita conjunguntur, ut eam, quam ideæ illorum revera habent, convenientiam aut repugnantiam exprimant. *Certitudo cognitionis* est, convenientiam percipere aut *idearum* repugnantiam, prout in propositionibus exprimitur. Hoc est, quod communiter appellamus, cognoscere alicujus propositionis veritatem, aut de ea esse certum.

§. IV.

§. IV.

Propositio nulla generalis vera esse cognosci potest, ubi essentia speciei cujusque non est cognita.

QUoniam vero *generalis cujusvis propositionis veritatem certam habere non possumus, nisi species, quas termini repræsentant, quibus accurate finibus concludantur, certo sciamus, speciei* uniuscujusque essentiam, per quam in esse suo constituitur, & ab aliis omnibus entibus distinguitur, sciamus necesse est. Hoc in *simplicibus Ideis*, & *Modis* omnibus facile fit. In hisce enim, cum realis, & nominalis essentia una eademque sit (23), aut, quod idem sonat, cum *idea* abstracta, pro qua terminus iste universalis substituitur, sola sit essentia, per quam *species* ista constituitur & terminatur, nulla dubitatio esse potest, quousque species ista extendatur, quasve res termini singuli sub se contineant; patet enim, eas omnes istas tantummodo esse, quæ cum iis, quas denotant, *ideis* plane conveniunt. In substantiis vero, in quibus realis essentia, a nominali diversa, speciem constituere, & determinare censetur, vocis generalis comprehensio valde incerta est: quoniam enim realem hanc Essentiam ignoramus, idcirco, quid ad speciem istam pertineat, quid non pertineat, &, per consequens quid possit, quid non possit de ea certo affirmari, scire nequimus (24). Ita quando de *homine* loquimur, aut *auro*, aut substantiarum naturalium alia quavis specie, quam credimus constitui per certam quandam *Essentiam realem*, unicuique individuo generis istius regulariter a natura tri-

---

(23) *V.* 2. *tom.* I.
(24) *V. Medit. nostr. in Lock. tom.* III.

tributam, & per quam hæc quoque species constituitur, quid de his substantiis affirmetur, aut negetur, certo sciri nequit. *Homo* enim, & *aurum*, hoc modo quando usurpantur, pro rerum *speciebus*, per reales essentias constitutis, ab *idea* complexa in loquentis animo discrepantibus, nescio quid significant; atque harum specierum, quam late pateant, termini indefiniti adeo, atque ignoti sunt, ut, omnes homines esse rationales, aut aurum omne esse flavum, affirmari certo nequeat: Ubi vero species singulæ nominali essentia terminantur, atque terminus universalis non nisi particularibus entibus tribuitur, in quibus ea, quam denotat *idea* complexa reperitur, ibi haud periculum est, ne singularum *specierum* terminos prætergrediamur, neque hic dubitari potest, utrum propositio quædam vera sit, nec ne. Propositionum hanc incertitudinem stylo scholastico explicandam censui, atque *specierum* & *essentiarum* nomina de industria usurpavi, ut ostenderem, quam absonum sit & incommodum, eas in numero entium realium collocare, nisi quatenus pure sunt *ideæ* abstractæ cum nominibus annexis. Qui rerum *species* aliud quid esse putant præter earum distributionem sub nominibus generalibus, juxta convenientiam illarum cum variis *ideis* abstractis, quarum nomina ista signa efficimus, veritatem confundunt, efficiuntque, ut, quæ circa substantias fiunt, propositiones omnes universales incertæ sint. Etiamsi itaque res istæ, apud homines Scholasticorum literaturæ haud assuetos, melius fortasse & dilucidius tractari possent, pravæ tamen istæ notiones *essentiarum* & *specierum*, quæ altas in illis radices egerunt, quorum animos eruditio illa imbuit, quæ in hisce mundi plagis admirationem obtinet, evellendæ prius sunt, quam voces ita usurpentur, ut instrumenta sint certæ cognitionis.

§. V.

§. V.

Hoc de substantiis præcipue & præ aliis dicitur.

S*Ubstantiarum* itaque *nomina quandocunque denotant species quæ censentur per reales essentias constitui*, nobis quidem incognitas, *nequeunt certitudinem menti afferre*: nec fieri potest, ut veritatem propositionum generalium, quæ terminis istiusmodi constant, exploratam habeamus. Ratio patet. Undenam enim certo sciremus, hanc aut illam qualitatem esse in auro, cum nesciamus quid sit, aut quid non sit aurum: Juxta hanc enim loquendi formulam res nulla dicitur aurum, quæ non particeps est ipsius essentiæ, quoniam vero essentiæ reales nobis ignotæ sunt, nec illarum *ideam* ullam habemus, nescimus, utrum quædam portio materiæ aurum dicenda sit, nec ne, & quænam ista sit, quæ non sit. Hoc enim a nobis æque non potest scire, ac cæcus quidam dicere potest, quonam in flore color *Violæ Tricoloris* repetiendus sit, aut ubi non deprehendatur, cum coloris istius nullam omnino *ideam* habeat. Aut si (quod fieri nequit) certo sciremus, *Auri* realis ista essentia, quæ nobis ignota est, in quo materiæ cumulo sit, nobis tamen haud certum & exploratum esset, hanc aut illam qualitatem de auro vere affirmari posse: Cum fieri nòn possit, ut sciamus, ejusmodi qualitatem aut ideam cum reali essentia, cujus nullam omnino *ideam* habemus, necessario esse connexam, quamcunque etiam speciem hæc Essentia, quæ realis supponitur, reipsa constituat.

§. VI.

Non nisi de paucarum admodum propositionum universalium circa substantias veritate constat.

COntra, *nomina substantiarum*, quando, ut par est, ad *ideas* adhibentur, in mente signandas, etiamsi claram habent & determinatam significationem, *ex iis tamen non multæ propositiones universales fieri possunt*, *de quarum veritate nos certi esse possemus*. Non quia nescimus, quid usurpata ita significent, verum quia in ea, quam denotant, *idea* complexa, multæ simplices complicatæ sunt, quæ non nisi cum paucissimis aliis *ideis* manifestam habent connexionem, aut repugnantiam.

§. VII.

Quoniam idearum coexistentia raro admodum deprehenditur.

IDeæ complexæ, quas nomina, quæ substantiarum speciebus tribuimus, proprie denotant, congeries sunt qualitatum, quas in *substrato* ignoto, quod dicimus *substantiam*, simul existere animadvertimus. Quæ vero qualitates aliæ cum complexis istis necessario coexistant, sciri pro certo nequit, nisi, quomodo ex natura sua ex se invicem pendeant, prius deprehensum fuerit; at in *primariis qualitatibus* non nisi rara admodum, in *secundis* vero nulla omnino connexio reperitur, ob rationes superius memoratas, *Cap. III. bujus Libri IV.* primo nempe, quia nescimus realem istum substantiarum contextum, quo singulæ *qualitates secundæ* præcipue nituntur. Secundo, si eum compertum haberemus, ex ista scientia experimentalis tantum, quæ non nisi ad unicum exemplum

plum pertineat, non vero universalis cognitio nasceretur. Ratio patet; quoniam menti non perspicuum est, inter *qualitatum secundarum* & *primarum* quarumvis modificationum connexionem aliquam intercedere. Quare non nisi paucissimæ propositiones universales circa substantias fieri possunt, quarum veritas manifesta sit.

§. VIII.

Exemplum ab auro petitur.

OMne aurum est fixum, licet hæc propositio ubique obtineat locum, non tamen est exploratæ veritatis. Si quis enim, ineptam istam, quæ in Scholis obtinet, opinionem secutus, putat, per vocem *aurum* quippiam denotari in certo quodam entium genere a natura constitutum, atque reali essentia præditum, palam est, nescire ipsum, quæ particulares substantiæ ad speciem istam pertineant; & proinde de *auro* nihil universaliter affirmare posse. At si per vocem *aurum* speciem denotet, nominali essentia determinatam, sitque verbi gratia nominalis ista essentia, *idea* complexa *corporis* coloris *rutili*, *ductilis*, *fusilis*, atque alio quovis corpore *ponderosioris*; per vocem *aurum*, hoc modo usurpatam, quid significetur, statuere non difficile erit. Nulla autem alia qualitas de *auro* universaliter affirmari, aut negari potest, nisi quæ cum nominali ista essentia connexionem plane, aut repugnantiam habet. Cum enim nobis haud constet, *fixitatem* cum colore, pondere, aut alia quavis complexæ nostræ simplici idea, aut cum toto simul complexu necessario esse connexam; fieri non potest, ut hujus propositionis, *Omne aurum est fixum*, veritas nobis comperta esse possit.

§. IX. Ut inter *fixitatem*, & colorem, pondus, atque alias *ideas* simplices nominalis istius essentiæ *auri*

auri nullam plane connexionem cernimus; ita, si *corpus flavum*, *fusile*, *ductile*, *ponderosum & fixum*, complexam nostram *auri ideam* esse statuerimus, eadem dubitatio erit de *solubilitate in aqua Regia*; & propter eandem rationem. Cum, *ideas* ipsas intuentes de corpore, cujus *idea* complexa ex flavo, ponderoso valde, ductili, fusili, & fixo conflata est, illud in *Aqua Regia* solubile esse, certo affirmare aut negare nequeamus: de reliquis istius qualitatibus idem dicendum est. Velim, quis mihi attributum aliquod ostenderet, quod de *auro* universaliter affirmari posse, certo sciret. Dicet sine dubio, annon hæc propositio, *Omne aurum est ductile*, certa est & universalis? Fatendum est, eam esse certam, si modo *ductilitas* pars sit *ideæ* complexæ, quæ voci *auro* subjicitur. Hic vero de *Auro* nihil affirmatur, nisi quod sonus iste *ideam* denotet, in qua *ductilitas* continetur; hæc autem veritas & certitudo non alia est, quam, si quis diceret, *Centaurum esse quadrupedem*. Sin vero *ductilitas* haud pars sit essentiæ, quæ voce *auro* signatur, perspicuum est, enunciationem istam, *Omne aurum est ductile*, non esse manifestæ veritatis: quoniam, e quibuscunque aliis istius qualitatibus auri *idea* complexa coagmentata fuerit, haud *ductilitas* e complexa ista *idea* pendere, nec, quæ in ea continetur, ex ulla simplici sequi deprehendetur. Si quam *Ductilitas* connexionem habet cum aliis istis qualitatibus, nascitur ea ex reali tantum partium insensibilium constitutione, hæc quoniam nobis ignota est, fieri non potest, ut connexionem istam, nisi simul cum partium vinculis, cerneremus.

§. X.

§. X.

Quatenus istiusmodi coexistentia deprehenditur, eatenus propositiones universales certæ esse possunt. Hæc autem cognitio non nisi ad pauca pertinet.

QUo plures quidem harum, quæ simul existunt, qualitatum in unam *ideam* complexam, sub uno nomine colligamus, eo definita magis & certa erit vocis istius significatio, non tamen eo magis proinde *certitudinem universalem* recipit, aliarum qualitatum respectu, quæ in *idea* nostra complexa non continentur; cum nos, realem istum contextum, in quo fundantur, & quomodo ab eo manent non cognoscentes, qua ratione inter se connexæ sint, aut a se invicem pendeant, prorsus ignoremus. Præcipua enim nostra substantiarum cognitio non, ut in aliis rebus, relationis tantum est duarum *idearum*, quæ separatim existere possunt, verum necessariæ connexionis & coexistentiæ *idearum* diversarum in eodem subjecto, aut repugnantiæ illarum ad simul ita existendum. Si nos, initium ibi sumentes, ubi finis est, quid illud sit, in quo color iste consistit, invenire possemus, unde fiat, quod corpus levius sit aut gravius, e qua partium textura proveniat, ut sit ductile, fusile fixum, atque aptum, ut in hoc liquore, non alio solvatur; haud nobis difficile esset hujusmodi corporum *idea* imbutis, & in quonam qualitates omnes sensibiles primitus consistant, quomodo producantur clare intuentibus, tales earum *ideas* abstractas formare, quales cognitioni magis generali materiam suppeditarent, efficerentque, ut, quæ *veritatem generalem* & *certitudinem* in se continerent, propositiones universales strueremus. Quamdiu vero complexæ nostræ *ideæ* specierum substantiarum, a reali isto contextu interno, ex quo sensibiles earum quali-

litates pendent, tam longe distant; & non nisi ex rudi collectione qualitatum, quæ sensibus obversantur, constant, fieri nequit, ut de substantiis multæ fiant propositiones generales, de quarum veritate plane constet; cum non nisi paucæ sint *ideæ* simplices, quarum connexionis necessariæ certam cognitionem habemus. Inter *secundas* omnes substantiarum *qualitates*, & illarum potentias, puto, non duas quasdam ostendi posse, quarum necessaria coexistentia, aut ad simul existendum repugnantia, certo cognosci possit, nisi in iis, quæ sunt ejusdem sensus, quæ, ut alibi ostensum est, se mutuo necessario excludunt. E corporis cujusdam colore nemo, opinor, certo scit, quem odorem, saporem, sonum, aut tangibiles qualitates habeat, nec quas alterationes in aliis corporibus efficere, aut ab iis recipere possit. Idem dici potest de sono, aut sapore, &c. Cum specifica nostra substantiarum nomina ejusmodi *idearum* collectiones quasdam denotent, haud mirum est, ex iis paucas admodum certæ & *evidentis veritatis* propositiones confici. Quatenus vero complexa quædam *idea* generis cujusvis substantiarum, simplicem in se *ideam* continet., quam cum alia quadam necessario simul existere liquet, eatenus *propositiones universales veritatis manifestæ* de ea fieri possunt: ita verbi gratia, si quis inter *ductilitatem*, atque *colorem* aut *pondus* auri, aut aliam quamcunque partem *ideæ* complexæ, quam vox ista designat, connexionem necessariam inveniret, is posset hoc respectu de auro certam atque universalem propositionem efficere; atque enunciationis istius, *Omne aurum est ductile*, non minus *certa* esset, quam huiusce veritas realis: *Triangulorum omnium rectilineorum tres simul anguli, duobus rectis sunt æquales*.

§. XI.

§. XI.

Quoniam qualitates, quæ complexas nostras substantiarum ideas *conficiunt, pendent plerumque ab externis remotis, & causis latentibus.*

SI substantiarum *ideis* ita imbuti essemus, ut sciremus, ex qua reali partium textura simplices istæ, quas in iis deprehendimus, qualitates promanent; nos per ideas specificas ipsarum realium essentiarum in mente nostra, proprietates illarum certius, quam nunc sensuum adminiculo, investigaremus: atque ad *auri* proprietates inveniendas, haud magis necessarium esset, ut *aurum* existeret, atque nos circa illud experimentis uteremur, quam ad Trianguli proprietates investigandas requiritur, ut triangulum in quadam materiæ parte existat. Idea, quam in mente nostra habemus, ad alterum non minus conducit, quam ad alterum. Tantum vero abest, ut in naturæ secreta admittamur, ut a primo statim istius aditu prohibeamur. Singulas enim, quas intuemur, substantias spectare solemus, tanquam res integras, in quibus qualitates omnes per se existunt, ab aliarum omnium consortio liberæ; haudquaquam utplurimum operationes respicientes fluidorum invisibilium; quæ circum eas undique amplectuntur, & e quorum operationibus pleræque omnes istæ qualitates pendent, quas in iis animadvertimus, & per quas eas secernimus ab aliis corporibus, & cujus rei causa nos eas certis quibusdam denominationibus afficimus. Si *auri* lamina alicubi poneretur seorsim a contactu & aliorum omnium corporum influentia, omnem statim colorem & gravitatem, fortasse etiam ductilitatem amitteret; & nescio, annon in eo casu ad friabilitatem plane redigeretur. *Aqua*, cui apud nos *fluiditas* essentialis est, per se relicta, *fluida* esse desineret.

At

At si entia inanimata eum, quo nunc utuntur, statum aliis ita, quæ extra sunt, corporibus debent, ut ab illorum vicinia semota haud omnino illud essent, quod nobis esse videntur, res multo magis ita se habet in *vegetabilibus*, quæ nutriuntur, crescunt, atque folia, flores & semina statis temporibus edunt. Et si *animantium* statum paulo propius intueamur, videbimus, ea secundum vitam, multum & præcipuas omnes, quas in iis cernimus, qualitates, penitus adeo a causis extrinsecis atque aliorum corporum qualitatibus pendere, ut sine illorum consortio temporis momento interirent: etiamsi corpora ista, a quibus pendent, parum hac occasione animadvertantur, nec eas, quas fingimus, animantium istorum *ideas* complexas ingrediantur. Si animalibus plerisque aer ad punctum temporis auferatur, statim sensum, vitam, & motum omnem amittunt. Hanc cognitionem ex ea, qua tenemur, spirandi necessitate arripuimus. Quot vero alia externa, & fortasse disjuncta longissime corpora, stupendis hisce machinis motum & impetum impertiunt, quæ non vulgo animadvertimus, nec de iis cogitamus quidem; quot insuper sunt, quæ homines, diligentissime rimantes, investigando nequeunt invenire? Exigui hujusce globi, quem Terram vocamus, incolæ, etsi tam longe a sole distantes, ex particularum tamen, quæ manant, aut agitantur ab eo motu, rite temperato, adeo dependent, ut, si terra propius paulo fontem istum caloris, aut remotius ab eo moveretur, haud dubium sit, quin animantium pars longe maxima animas statim efflarent: Cum videamus animantia sæpius exinde vitam amittere, quod in ea loci positione, quam casu obtinuere, in perangusto hoc orbe nostro, radios solis nimios, aut nimis exiguos persentiant. Qualitates, quas in Magnete deprehendimus, necessario suum ortum habent longe ultra corpora istius confinia; atque grassantes illi in multis animantium gene-

generibus morbi, quorum causa latet; certa ista mors, quæ illarum nonnullæ, Æquatorem transeuntes, statim intereant, vel, ut de aliis quibusdam dicitur, solum tantummodo mutando; plane ostendunt, concursum & operationem corporum plurimorum, cum quibus raro censentur, commercium aliquod habere, requiri necessario, ut illud fiant, quod nobis videntur esse, & ad qualitates istas conservandas, per quas dignoscuntur. Fallimur itaque, quoties putamus, eas, quæ nobis videntur, qualitates rebus ipsis inesse; Atque ita frustra in muscæ, aut elephantis corpore istum perscrutamur contextum, unde, quam in iis cernimus, vis omnis & facultas oriatur. Ad hæc fortasse recte intelligenda, necesse erit, ut oculos intendamus, non solum ultra terræ hujusce orbitam & Atmosphæram, verum etiam ultra solem, aut, quas vidimus unquam, stellas maxime longinquas. Omnem enim humanam transcendit facultatem, statuere, quantum entia particularia in nostro hoc globo, in existendo atque operando a causis pendeant, penitus ultra conspectum nostrum positis. Hic, quæ nos circumstant, entium crassiorum motus atque operationes quasdam percipimus; a quo fonte autem vis illa proficiscatur, qua in stupendis hisce machinis motus conservatur, qua ratione hucusque pertingat, quomodo modificetur, nobis quidem scire non datur: & fortasse partes sive rotæ insigniores, si modo ita loqui fas est, quæ in hujus *universi* admirabili fabrica cernuntur, ita connexæ sunt & in operationibus a se invicem pendent, ut res in nostro hoc, quem inhabitamus, angulo, aliam plane faciem induerent, si ex astris quoddam, aut ex istis corporibus majoribus, quæ tanto, ut concipi ferme non possit, intervallo a nobis distant, aliquod corpus desineret esse, aut eum, quem nunc habet, motum amitteret. Hoc certissimum est, res utcumque in se perfectæ & consummatæ esse videantur,

præ-

præcipuas tamen, quas in iis animadvertimus, qualitates, potentias, atque operationes, rei cuipiam externæ debere; nec in natura quippiam absolutum adeo, atque perfectum est, quod non existentiam, &, quam habet, excellentiam & præstantiam omnem vicinis entibus acceptam referre debeat; quare si corporis cujusvis qualitates scire perfecte volumus, cogitationes nostræ longe ultra superficiem istius expatientur, necesse est.

§. XII. Si res ita se habet, haud mirum est, nos *substantiarum imperfectas valde* ideas *habere*, atque reales essentias, e quibus proprietates, atque operationes omnes pendent, nobis incognitas esse. Nos non reperire possumus, undenam ista, quam revera habent, moles, figura, & partium subtilium textura; multo minus unde motus isti & facti ab externis corporibus impulsus, a quibus pendent, & præcipuæ istæ qualitates fiunt, quas in iis animadvertimus, & e quibus complexæ nostræ ideæ conficiuntur. Unica hæc ratio obstare debet, quo minus realium essentiarum *ideas* sectemur; hisce quamdiu caremus; nominales, quibus earum loco utimur, essentiæ *cognitionem generalem*, atque certæ & non dubiæ veritatis propositiones universales rarissime, & fere nunquam suppeditabunt (25).

§. XIII.

(25) Timeo, ne Longius ac subtilius, quam par est hic Lockium argumentari. Pro cognitione sufficiunt quidam limites, quibus positis, veritate indubia, haud caremus. Logici clamitant, *non dari analysim notionum in infinitum*, & ipsemet hoc ingenue conscripsit (*cap. IV. lib. III. §. IV. & seq.*), per consequens si post quasdam repetitas observationes, ac accuratas experientias de quadam re quid acquirimus, quod certis modis, omnique tempore, omnibus circumstantiis, nos omnes idem, communiterque videmus ipsique rei convenire, debet pro certo teneri, & hoc quid ut reale ipsius rei reputari.

§. XIII.

Perspicax fortasse ingenium ulterius pertingant, at ea non est cognitio.

NOn itaque est, cur quis miretur, si paucarum admodum generalium enunciationum circa substantias certa & *manifesta* deprehendatur. Nostra enim proprietatum istarum cognitio raro ulterius progreditur, quam sensus iter ostendunt. Viri curiosi & in observando perspicaces, pro ipsorum subacto ingenio & sagaci, altius fortasse penetrent, atque probabilia sequentes, quæ cauta & diligens animadversio docuit, ea conjectura assequantur, quæ experientia haud dicere. Hæc autem conjectura est; opinionem tantum generat, non eam certitudinem, quæ requiritur ad cognitionem. Omnis enim *cognitio generalis* in mente est sola, atque in *idearum* nostrarum abstractarum nuda contemplatione posita est. Atque ubi inter eas convenientiam cernimus, aut repugnantiam, ibi *cognitio* est *generalis*, & cum nomina *idearum* istarum in propositione junguntur, *veritas generalis* ex iis certo nascitur. Quoniam vero substantiarum *ideæ* abstractæ, pro quibus nomina earum specifica substituuntur, quandocunque distinctæ sunt, & determinatæ significationis, non nisi cum paucis *ideis* aliis manifestam habent convenientiam aut repugnantiam, ideoque *propositionum universalium circa substantias certitudo*, in ea parte, quæ præcipue nostræ hic disquisitionis est, brevis est, & perangusta. Atque inter nomina substantiarum vix unum aliquod est (cuicunque illud *ideæ* imponatur) de quo certo & universaliter affirmari posset, hanc, aut istam qualitatem ad illud pertineret, aut non pertinere, & semper simul existere aut pugnare cum *idea* ista, ubicunque ea reperitur.

§. XIV.

Ad substantiarum cognitionem quid requiratur.

HUjusmodi levem aliquam cognitionem priusquam adipiscamur, sciendum est primo, corporis alterius *qualitates primæ*, in *primis* corporis alterius *qualitatibus*, quas mutationes regulariter efficiant. Secundo sciendum est, quæ *primariæ qualitates* cujusdam corporis certas quasdam sensationes, aut *ideas* in nobis producant. Hoc revera est omnes materiæ effectus scire, quatenus alio, atque alio modo afficitur, nempe secundum molem, figuram, partium cohæsionem, motum, & quietem: hæc a nobis sciri non posse, nisi a Deo revelata fuerint, nemo, arbitror, inficiabitur. Aut si cœlitus revelatum esset, quæ figura, moles, & corpusculorum motus, *flavi* coloris sensationem in nobis excitarent, aut quæ figura, moles, & textura partium in corporis cujusdam superficie ejusmodi corpusculis motum tribuerent idoneum ad colorem istum producendum, num satis hoc esset ad propositiones *universales* veritatis *manifestæ*, de diversis illlorum generibus, efficiendas, nisi in nobis facultates essent, satis acutæ, ad certam molem, figuram, texturam, & motum corporum percipiendum in minutis istius partibus, per quas in sensus nostros operantur, ut ex iis abstractas nostras *ideas* fingeremus (26)? De corporeis tantum substantiis hic mentio-

(26) Videtis, quot pulcherrimis experimentis incomparabilis Isaccus Newtonus statuit doctrinam de coloribus, & postea de nostri Auctoris conceptibus hic emanatis dijudicate. Pro certo debet teneri, nobis de omnibus, & in omnibus, ut, ille ait, substantiis datum non esse, veritatem invenire, atque introspicere, at ergo non possumus in quibusdam certo quædam statuere, atque cognoscére cum veritate, de qua loquitur Auctor, est quod perbelle negatur, & a sana mente debet sane negari.

tionem feci, quæ ad intelligentiam nostram magis accomodatæ esse videntur: Quod ad *Spirituum* enim *operationes*, cogitandi nempe & corpora movendi primo intuitu haud facile eas capimus, etiamsi fortasse cogitationes nostras ad res corporeas, & illarum operationes, propius paulo intendentes, & quærentes, quam longe, vel in hisce, clara cognitio nostra ultra ea feratur, quod de facto vera esse sensibus percipimus, fateri cogemur, nos in hisce disquisitionibus in ignorantia & errore plane versari.

§. XV.

Dum ideæ *nostræ substantiarum haud illarum contextum realem complectuntur, non nisi paucæ admodum propositiones manifestæ veritatis de iis fieri possunt.*

PAlam est, *ex abstractis substantiarum ideis complexis*, pro quibus nomina generalia substituuntur, cum reales illarum contextus haud complectantur, *certitudinis universalis non nisi exiguum admodum gradum nasci*. Ratio est, quoniam illarum, quas habemus, *ideæ* non ex iis conflatæ sunt, e quibus istæ, quas in illis observamus, qualitates pendent, vel quibuscum necessariam connexionem habent. *V. gr.* sit *idea*, cui nomen *hominis* tribuimus, prout vulgo sumitur, corpus figura, sensu, motu voluntario præditum, & cui ratio etiam conjungitur. Cum hæc sit *idea* abstracta, &, per consequens, essentia speciei, qua dicimus *hominem*, *de homine*, quatenus talem *ideam* denotat, paucæ admodum certæ & non dubiæ veritatis enunciationes universales fieri possunt. Quoniam nescientes, quæ sit realis

ista temperatio, qua sensatio, facultas se movendi, ratiocinatio, simul cum figura ista particulari nituntur, & per quam in eodem subjecto conjunguntur, pauci limæ admodum aliæ sunt qualitates, cum quibus necessario connexæ esse, deprehenduntur: Pro certo itaque affirmari nequit, *Omnes homines per intervalla dormire*; *neminem ligno aut lapidibus nutriri*; *cicutam omnibus mortem inferre*: quoniam hæ *ideæ* cum nostra hac nominali essentia *hominis*, cum abstracta hac *idea*, pro qua nomen illud usurpatur nullam habent connexionem, aut repugnantiam. In hisce & similibus ab experientia, quæ non late patet, discendum est, quo modo se res habeat in subjectis singularibus. In reliquis, quod probabile est, sequamur, necesse est: certam vero cognitionem universalem consequi nequimus, cum *hominis idea* nostra specifica, haud realem istum contextum contineat, in quo omnes istius qualitates inseparabiles conjunguntur, & a quo, tanquam a fonte suo, manant. Quamdiu itaque Idea, quam *Hominis* nomine efferimus, non nisi manca quædam qualitatum quarundam sensibilium, & quarundam facultatum, quæ in illo reperiuntur, collectio est, nos nullam vel connexionem, vel repugnantiam inter nostram ideam specificam, & operationem quam *cicutæ* particulæ, aut lapidum pro sua constitutione proferre debent, excogitare & rimari possumus. Non enim desunt animalia, quæ sine noxa cicutam edunt, nec alia, quæ lapidibus & ligno vescuntur: cum vero haud nobis *ideæ* suppetant realis contextus animalium istorum, quo istæ, & similes qualitates atque potentiæ nituntur, de iis *veritas certa* in enunciatis universalibus sperari nequit. Istæ tantummodo *ideæ*, quæ cum nominali nostra essentia, aut istius parte aliqua plane connexæ sunt, hujusmodi propositionibus materiam suppeditant. Hæ vero paucæ adeo sunt, & tam nul-

nullius momenti (27), ut *universalis* hæc *substantiarum cognitio*, nulla propemodum habenda sit.

§. XVI.

Generalium propositionum certitudo in quonam posita sit.

UT verbo omnia concludam, *Propositiones universales*, cujuscunque generis, tunc tantum *manifestam* habent *veritatem*, cum voces *ideas* denotant, quarum convenientia aut repugnantia, prout ibi exprimitur, a nobis deprehendi potest. Et tunc veri-

 tas

(27) Idem non mihi videtur. Plura hac super re in meditatione nostra in Lockium (*tom.* III.) diximus. Hic satis est adnotare, quod *Homo*, idem sonat ac animal ratione præditum, quid quid ergo in his ideis continetur in homine est, ut & quid quid opponitur, impossibile est in Homine invenire. *Animal* est idea complexa, quæ nobis excitat ideam corporis quodam simetrico, ac ordinato modo constructi: *rationale* denotat habere facultatem res percipiendi, vel conficiendi ideas, ex quibus consequentia eruantur [28 *tom.* I.]: quidquid ergo concurrit ad statum, ordinem, ac corporis simetriam reconciliandam, ad Hominis salutem concurrit: pariter quidquid eam destruit, destruere debet ordinem, ac simetriam ipsius corporis. Quapropter certi sumus, *cicutam* Homini lædere, vel non, quandiu cicutæ partes introspiciamus, & eas cum statu humorum, solidarumque partium comparamus, excessumque perpendimus. Nimirum si excessus hic in contraria ratione erit illi, de quo excedit, vel deficit corpus ad suam perfectionem, tum dicitur, & certo statuimus, cicutam juvari, contra lædere. Quis audet, inquit Auctor, certo statuere actionem cicutæ, ac statum corporis animalis? Respondemus esse profecto difficile, at impossibile negamus. Non oportet omnia invenire, atque perspicere, ut cognitionem alicujus peculiaris qualitatis nanciscamur, sufficit tantum, qualitatem, de qua agamus, comprehendere in quadam idea, adeo ut hac semota, idea ipsa destruatur: tum hæc qualitatis perceptio nobis ipsius certitudinem suppeditat, & æque veram esse, credere debemus.

tas, aut falsitas illarum nobis explorata est, cum videmus *ideas*, quas signant, perinde convenire, aut non convenire, prout de se invicem affirmantur, aut negantur. Unde annotare licet, *certitudinem generalem* nunquam reperiri, nisi in *ideis* nostris. Quandocunque eam alibi quærimus in experimentis, aut rerum, quæ extra sunt, observationibus cognitio nostra ad particularia tantum pertinet. *Cognitio generalis* ex nostrarum tantum *idearum* abstractarum contemplatione oritur.

C A P. VII.

De Axiomatibus.

§. I.

Axiomata per se clara sunt.

QUædam sunt enunciata, quæ sub nomine *Axiomatum*, pro scientiarum Principiis habentur (28): & quoniam *per se clara* sunt, *innatorum* nomen obti-

---

(28) Sic Wolfius. *Definitiones tam reales, quam nominales compend. el. Pref. t.1. p IX) tum in se considerati, tum inter se conferri possunt. Si considerando definitiones, aliquid exinde immediate concluditur* AXIOMA *vocatur. Ex. gr., Genesin circuli consideranti, facile apparet, omnes rectas ex centro ad peripheriam ductas inter se æquales esse, cum unam eandemque lineam in diverso situ referant. Hæc adeo propositio in axiomatum numero habetur. Dominus* DETSCHIRNHAUSEN *hanc vocem in hoc sensu adhibet. Vulgo quævis propositio, quam sine demonstratione concedimus*, AXIOMA *audit. Atque in hoc sensu Euclides, ac reliqui veteres Geometræ hac voce utuntur.*

Axio-

obtinuere, etiamsi nemo, (quod sciam) undenam ita clara censeantur, hactenus unquam demonstrare fuerit conatus. Forsitan itaque opere pretium erit perspicuitatis illorum rationem investigare, & videre, utrum id ipsis peculiare sit; utrumve facem nobis præferant ad aliarum rerum cognitionem.

§. II.

Per se clarum in qnonam consistat.

Cognitio, ut superius ostensum est, in perceptione posita est convenientiæ aut repuguantiæ *idearum.*: Ubi convenientia, aut repugnantia ista immediate percipitur, sine ullius alterius interventu, ibi *cognitio* nostra *per se clara est* (29). Hoc cuivis manife-

---

Axiomata enunciant vel aliquid esse, vel aliquid effici posse. Axioma speciei prioris, illud est, quod modo ex definitione circuli deduximus, omnes lineas ex centro ad peripheriam ductas esse æquales. *Contra axioma alterius speciei est id quod ex definitione linea recta fluit, scil.* A quovis puncto ad quodvis punctum posse lineam rectam duci. *Axiomata hujus speciei dicuntur postulata.*

Quoniam igitur axiomatum, & postulatorum veritas, per intuitum definitionum ex quibus fluunt cognoscitur, demonstratione nulla indigent. Veritas enim eorum apparet quamprimum realitas definitionum fuerit evicta. Quamobrem, verumne, an falsum axioma sit, ante examinatam definitionis possibilitatem, eum certitudine dijudicari non potest. Secus enim id solum constat, posita definitionis possibilitate, axiomata vera futura. Hinc quoque manifestum fit, cur Tschirnhausius *axiomata tanquam propositiones definiverit quæ ex definitione intelliguntur.*

(29) Potius ex claris cognitionibus certum oritur judicium quod statim, celeriterque conficitur. Dum dico, *omne totum est sua parte majus*, judicium efformo, comparatis inter se ideis *totum*, & *pars*, per consequens ex certa claraque *partis*, ac *totius* cognitione habetur. Verum est, quod hic dici potest, dum in

nifestum erit, qui ex iis propositionibus quasdam intuebitur, quibus, sine probatione aliqua, primo statim intuitu assensum præbet: in iis enim omnibus videbit, assensum nasci ex convenientia aut repugnantia, quam mens, comparatione facta, statim reperit in *ideis* istis juxta affirmationem aut negationem in enunciatione.

§. III.

Per se clarum esse non receptis communiter axiomatibus peculiare est.

CUm hoc ita se habeat, quærendum proxime, utrum *per se* (30) *clarum* esse (*), peculiare sit iis

---

in mente mea figo, & clare internosco, totum esse sua parte majus, nonne cognitionem adipiscor? Hæc, quæcunque sit, cognitio non remanet, ut ita dicam, in se, nec per se esse potest: continetur enim in aliis, quibus representatis, illa acquiritur; quam ob rem cognitio vera dici nequit, si destructis primis cognitionibus ruit & illa cognitio, ut meditantibus patet; en ergo ratio, qua diximus, cognitionem non consistere *in repugnantia vel convenientia idearum* (76. 77. *tom. IV.*) sed in ipsa idea, vel representatione alicujus rei, de qua nequit dubitari. Internoscitur pariter, cur axiomata non recte pro ideis innatis teneantur a nonnullis, si non sunt præter judicia quæ fluunt ex ideis sensu habitis.

[30] Sic legitur in textu *Self évidence*, videlicet evidens per se ipsum. *Coste* adnotat sequenti modo.

[*] *Self évidence*; verbum exprimens valde in anglico idiomate, sed, si me non fugit, nequit gallicum reddi, nisi per periphrasim. *Proprietas nimirum est, quam habet propositio, esse per se ipsam evidens*, quod ego ut circumvolutione nostrum sermonem non implicemus, immediatam evidentiam appello. Post illud quod in præcedenti §. dixit auctor, oportebat internoscere, quod hic voluit intelligere. Verum cum facile sit, opus non esse in posterum, id amplius commemorari, sic non credidi absque utilitate Lectorem admonere, me sensum hunc huic verbo semper constanterque tribuere. COSTE.

iis tantum enunciatis, quæ *Axiomatum* nomine dignamur. Patet equidem, idem de aliis dicendum esse, quæ in horum axiomatum numero non habentur. Si memorata superius varia *idearum* convenientiæ, aut repugnantiæ genera, *identitatem* nimirum, *relationem*, *coexistentiam*, atque *existentiam realem* intueamur, videbimus, præter ea, quæ in *axiomatum* album referuntur, innumera pæne alia enunciata esse *per se clara* (31).

§. IV.

Quoad identitatem & diversitatem, propositiones omnes æque per se claræ sunt.

PRimo enim, ex immediata perceptione convenientiæ, aut repugnantiæ *identitatis*, cujus cum fundamentum sit, quod mens distinctas habeat *ideas*, tot propositiones *per se clara* nancilcimur, quot *ideas* distinctas habemus. Qui cognitione aliqua præditus est, pro fundamento istius varias habet, & distinctas *ideas*: atque primus mentis actus est (sine quo nullam cognitionem recipere potest), singulas *ideas* suas seorsim scire, easque ab aliis ominibus secernere (32). Unusquisque in se experitur, se quas habet, *ideas* cognoscere (33), se scire etiam, quando quædam in-

(31) *Ovum non esse lapidem*, hujus generis est, simulac internoscitur ovum & lapis: profertur judicium, unum alterum non esse. *Patrem non esse filium*, statim ait, qui habet ideam patris ac filii. *Nix, & aqua a nigis ipsius solutione habita non sunt duo simul coexistentia*, id intelligitur clare, si nigis, ac aquæ ipsius nigis solutæ idea clara tenetur. Sic de aliis, & contra.

(32) Hæc est vera ars ratiocinandi, ac solide internoscendi veritates. Primum ideas enucleare, distincteque in mente figi. Ast quam pauci id curant [21. 32. 33. 57.]?

(33) *Ideas cognoscere*. Ergo cum idea habet cognitionem, per consequens non requiritur *convenientiæ* vel repugnantiæ intuitio; ut enodavimus (29).

intellectu eſt, & quid ea ſit; & cum plures inibi ſunt, aliam ab alia diſtinguere poteſt. Cum hoc ita ſe habeat, (fieri enim non poteſt, quin illud percipit) quandocumque *idea* quædam in mente eſt, non in dubium vocat, utrum ibi ſit, nec ne, aut ea ſit, quæ revera eſt, *idea*; atque diſtinctas duas *ideas*, in mente quando ſunt ibi exiſtere, & non unam eſſe eandemque numero *ideam*. Quare iſtiuſmodi affirmationes & negationes nihil habent dubitationis, verum intellectæ ſtatim aſſenſum eliciunt; quamprimum nempe in mente definitas habemus *ideas*, quæ propoſitionis vocabulis ſignantur. Quandocumque igitur mens cuidam propoſitioni diligenter ita attendit, ut videat, duas *ideas*, quæ vocibus ſignantur, atque de ſe invicem affirmantur, aut negantur, eaſdem eſſe, iſtius propoſitionis veritatem ſtatim perſpectam habet, ſive propoſitiones iſtæ terminis conſtent, magis, ſive minus, generales *ideas* denotantibus, *v. gr.* ſive *exiſtentiæ idea* generalis de ſeipſo affirmetur, ut in hac propoſitione *quicquid eſt*; aut *idea* magis particularis de ſeipſo affirmetur, ut *homo eſt homo*, aut *album eſt album*. Sive *idea exiſtentiæ* in genere de *non exiſtentia* negetur, quæ unica eſt (ſi ita eam dicere licet), *idea* ab illa diverſa, ut in altera hac propoſitione, *impoſſibile eſt*, *idem ſimul eſſe*, *& non eſſe*; aut *idea* particularis cujuſdam entis de altero negetur ab eo diverſo, ut *homo non eſt equus*; *Rubrum non eſt cæruleum*. *Idearum* diverſitas efficit, ut, intellectis terminis, propoſitionis veritas ſtatim appareat; idque non minus in particularibus, quam in propoſitionibus magis univerſalibus: idque ob rationem eandem, quoniam nempe mens in *ideis*, quas habet percipit, eandem *ideam* eandem eſſe cum ſemetipſa; atque duas diverſas *ideas* a ſe differre, & non eandem eſſe. Atque hoc æque certo ſcit, ſive *ideæ* iſtæ magis minuſve generales, abſtractæ, & complexæ ſint. Non itaque ſolis hiſce duo-

duobus enunciatis generalibus, *Quicquid est, est*; atque *Impossibile est, rem eandem simul esse, & non esse*, *per se clara esse* peculiari jure convenit. Entis, aut non entis perceptio, non magis ad vagas istas *ideas*, per terminos *quicquid*, aut *rem* significatas, quam ad alias quasvis *ideas* pertinet. Duo hæc axiomata generalia, quæ non aliud plane dicunt, *quam ideam esse idem*, atque *idem non esse diversum*, veritates sunt non minus notæ in rebus singularibus, quam in axiomatibus istis generalibus; &, ut accuratius loquamur, prius quidem, quam axiomata ista, quæ omnem vim suam a particularibus trahunt, cognitionem nostram subeunt. Nihil magis perspicuum est, quam mentem sine ullius argumenti adminiculo, nec ad aliquam ex generalibus istis propositionibus recurrentem, clare adeo percipere & cognoscere certo *ideam albi*, esse *ideam albi* & non *ideam cærulei*, atque albi *ideam*, quando in mente est, inibi inesse, ut horum axiomatum contemplatio ad cognitionis istius certitudinem, aut evidentiam nihil adjicere possit. Haud aliter se res habet (prout in semet quisquis experitur) in *ideis* omnibus in mente constitutis. Singulas *ideas* eas esse, quæ sunt, & non alias esse, easque in mente & non extra mentem ipsius esse. quando revera ibi sunt, unusquisque ea cognoscit certitudine, quæ jure dici potest maxima. Exinde sequitur, nullam dari propositionem generalem, de cujus veritate certiores esse possemus; aut quæ priorem hanc perfectiorem reddere posset. Quare identitatis respectu, cognitio nostra intuitiva non minus late patet, quam *ideæ* nostræ: possumusque tot propositiones *per se claras* efficere, quot nomina habemus *idearum* distinctarum; atque hic penes quemlibet judicium esse velim, utrum propositio hæc, *circulus est circulus*, non per se clara adeo sit, ac quæ terminis magis universalibus constat, *Quicquid est, est*: Utrum rursum, *cæruleum non est rubrum*, non

non sit enunciatio, de cujus veritate, intellectis semel terminis: haud major dubitatio in mente oriri possit, quam de axiomate isto, *impossibile est*, *idem simul esse*, & *non esse?* Idem de aliis dicendum.

§. V.

Secundo, in coexistentia paucæ admodum propositiones sunt per se claræ.

SEcundo, Quod ad *coexistentiam*, aut duas inter *ideas* necessariam adeo connexionem, ut, in subjecto, in quo altera illarum esse concipitur, ibi alteram quoque esse, necesse sit, attinet, hujusmodi convenientiæ, aut repugnantiæ, mens non nisi in paucissimis admodum immediatam habet perceptionem. Quare cognitio intuitiva rarius hic occurrit, nec multæ *per se claræ* propositiones, hac in re formari possunt, etsi nonnullæ quidem sunt, verbi gratia cum *ideam* loci replendi, æqualis capacitati superficiei istius, corporis *Ideæ* nostræ adjicimus, puto, per se claram esse propositionem, *duo corpora non posse simul in eodem loco esse* (*).

§. VI.

(*) Soliditatis itaque, sive impenetrabilitatis ideam ab Idea extensionis deducit Lockius. Corpus non potest esse simul in loco eodem, in quo aliud corpus situm est; quia ea est idea corporis, ut impleat locum ejusdem superficiei equalem; scilicet ut loco, quem occupat, sit commensurabile. An corpus non occupat locum capacitati ejusdem superficiei æqualem, nec loco est commensurabile, quam per extensionem; igitur ex extensione fit, ut corpus solidum sit, sive impenetrabile (**) THIELE.

[**] Newtoniani hoc impugnant. Existimant hi, dari extensionem penetrabilem, ut vacuum. Ceteroquin, Lockius dum ait *ideam loci replendi*, *æqualis capacitati superficiei istius* non intelligit, ut male arguit Thiele. ex extensione solidum oriri, tantum ait de corpore, vel de superficie solida, quæ aliam soli-

§. VI.

Tertio, in aliis relationibus sunt.

TErtio, quod ad Modorum *Relationes*, Mathematici de unica ista *æqualitatis* relatione Axiomata multa effinxerunt. Ut, *si æqualibus æqualia auferantur, quæ remanebunt, æqualia erunt*: hoc, atque alia hujusmodi, etsi a Mathematicis pro axiomatibus habentur, & manifestæ sunt veritatis; rem tamen diligenter intuentibus non magis *per se clara* videbuntur, quam hæc, *unum, atque unum æqualia sunt duobus*; *si a manus unius digitis quinque duo digiti, & a manus alterius quinque digitis duo amputentur, qui remanebunt, numero æquales erunt*. Hæ, atque ejusmodi innumeræ enunciationes in numeris inveniri possunt, quæ, auditæ statim, assensum elicient, atque æque saltem claræ sunt, ac Mathematica ista Axiomata.

§. VII.

Quarto, in reali existentia nullæ sunt.

QUarto, Quod *ad realem existentiam*, cum ea nullam, cum ulla alia *idearum* nostrarum connexionem habeat, nisi quæ nostri ipsorum est, atque Entis Primi, eo respectu, de aliorom entium omnium existentia reali, non demonstrativam, multo minus *per se claram*, cognitionem habemus: quare circa has nulla sunt Axiomata.

§. VIII.

dam superficiem e loco suo respicit. Tam verum est, quod Lockius sic redit quo existentiam vacui demonstrat (*lib. II. Cap. XIII.* §. *XXI.* & *reliqu. p.* 147. *tom. II.*), per consequens non ex simplici extensione impenetrabilitatem fluere putat.

§. VIII.

In hisce axiomatibus parum momenti consistit ad aliarum rerum cognitionem.

PRoxime videndum, recepta hæc communiter *axiomata* quidnam momenti afferant ad aliarum rerum cognitionem. Regula ista, quæ in Scholis obtinet, omnia nempe ratiocinia esse *ex præcognitis*, & *præconcessis*, cognitionis omnis fundamentum in hisce axiomatibus, tanquam *præcognitis*, ponere videtur; quo duo hæc intelligi puto; Primo, Axiomata hæc eas esse veritates, quæ menti primo sunt cognitæ; Secundo, ea pro fundamentis substerni reliquæ nostræ cognitioni.

§. IX.

Quia non sunt veritates primo a nobis cognitæ.

PRimo, non ea *veritates* esse *primo* menti cognitas, experientia ipsa docet, ut alibi (*) ostendimus. Quis nescit, puerulum certo scire, mulierem quandam peregrinam non esse ipsius matrem; saccharum, quod ipsi porrigitur, non esse virgam, quam reformidat, idque multo ante, quam scit, *Impossibile esse, idem simul esse & non esse?* Atque circa numeros quot sunt veritates, quas palam est, menti plene & perfecte prius cognitas esse, quam Mathematicorum principia ista unquam innotuerunt? Cujus ratio patet; cum enim, quod efficit, ut mens istiusmodi propositionibus assentiatur, nihil sit nisi perceptio convenientiæ, aut repugnantiæ *idearum* suarum, pro-

(*) Vid. Lib. I. Cap. II. ubi de ideis innatis agit, easque ea & impugnat.

prout in vocibus, quas intelligit, de se invicem affirmantur, aut negantur; cumque unaquæque *idea* ea esse, quæ revera est, & diversæ duæ *ideæ* non una, ac eadem idea esse, deprehendantur; sequitur necessario, *per se notas* ejusmodi veritates, *ideis* constantes, quæ mentem ante alias omnes subeunt, primo cognitas esse: Perspicuum vero est, *ideas*, mentem primo ingredientes, esse rerum particularium, unde intellectos lentis gradibus ad duas istas universales progreditur; quæ cum ab usitatis & quotidianis sensuum objectis desumantur, nomina generalia adeptæ, in mente reponuntur. Particulares itaque *ideæ*, quæ ante alias in mente recipiuntur, primam cognitioni materiam suppeditant: post eas minus generales, sive specificæ, quæ proximæ sunt particularibus. *Ideæ* enim abstractæ puerulis, & mentibus in hac cogitandi ratione nondum exercitatis, non æque perspicuæ & luculentæ, ac particulares sunt. Si vero in adultis faciliorem habent cognitionem, id ex familiari & quotidiano usu provenit: si enim propius eas intueamur, videbimus, *Ideas* generales animi figmenta esse, quæ non sine labore formantur & difficilius intellectui objiciuntur, quam nos putamus. Exempli gratia, annon studium aliquod & solertia requiritur, ad *Trianguli ideam* generalem formandam? (quæ tamen omnium maxime abstracta & complicata non est) oportet enim, ut neque obliquum sit, neque rectangulum, neque æquilaterum neque æquicrurum, neque scalenum; verum omnia hæc simul, & nihil horum seorsim. Fateor equidem mentem in statu hoc imperfecto carere hujusmodi *ideis* ad scientias comparandas. Suspicemur tamen par est, ejusmodi *ideas* notas esse imperfectionis nostræ; saltem demonstrari potest, abstractas maxime & generales *ideas*, non eas esse, quarum cognitione mens primum imbuitur, idque facillimo negotio, ne-

go-

gotio, nec circa has primam mentis cognitionem versari (34).

§. X.

Quoniam ex iis haud reliqua nostra cognitio pendet.

SEcundo, ex dictis patet, hæc tantopere prædicata axiomata non principia esse & *fundamenta* reliquæ nostræ *cognitionis*. Si enim multæ sunt veritates, non minus *per se clara*, & qua illis priores cognoscimus fieri non potest, ut *principia* aliarum omnium veritatum sint. An sciri nequit, *unum*, & *duo* æqualia esse *tribus*, nisi hujus, aut hujusmodi *Axiomatis* beneficio & ope, nempe *Totum æquale est omnibus suis partibus simul sumptis*? Multi enunciationis istius unum & duo æqualia esse tribus, sine ejusmodi axiomatis ope, non minus, quam alii quivis hujus axiomatis ipsius, totum æquale esse omnibus partibus suis simul sumtis, veritatem perspectam habent, quoniam prior propositio non minus *per se clara* est, & æqualitas hujus ideæ ipsius esse perspicua est & certa sine ullius axiomatis usu, ac si illud fuisset adhibitum, quia nullius indigent probationis, ut eam animadvertant & credant. Nemo etiam postquam scit, *Totum omnibus partibus suis æquale esse*, certius, quam prius, cognoscit, *unum & duo æqualia esse tribus*. Si enim discrimen est aliquod in istis *ideis Totius* & *partium*, obscuræ magis sunt, certe difficilius in mente reponuntur, quam *unius*, *duorum*, & *trium ideæ* (35). Atque hic eos rogaverim, qui, exce-

(34) *V. adn. 29. tom. 1.*

(35) *Totum est suis partibus equale*: propositio hæc tantum differt ab alia, *unum & duo sunt tribus equalia*, quantum termini generales a particularibus; non secus ac si diceremus, *spiritus*

exceptis axiomatibus ipsis, cognitionem omnem a generalibus, innatis, & per se claris principiis *pendere* volunt, quo principio probandum sit, *bis unum* esse *duo*, *bis duo* esse *quatuor*, *ter duo* esse *sex* (36). Quoniam ad hæc nulla probatio requiritur, hinc discimus, aut cognitionem omnem non certis quibusdam *niti præcognitis* vel axiomatibus generalibus, quæ principia vocantur, aut has propositiones totidem principia esse: atque si hæ principia vocentur, idem de propositionibus, numeros spectantibus, magna ex par-

---

ritus & corpus constituit hunc hominem, particularis propositio est: generalis postea, *quidquid est a corpore & spiritu constatum homo est*; non absimili modo hæc generalis propositio differt a particulari sua, quam illa universalis a sua particulari respective. Pluries hac de re cogitavi, semperque inveni, axioma nihil aliud esse, quam universalis propositio, non secus ac ceteras universales propositiones. Quod diversum suppeditet aspectum propositionibus quæ axiomata appellantur, illud est, quod propter usum communem, ac generaliorem, sub omnium consideratione cadunt: per consequens sunt magis cognitæ, ac in omnium mente fixæ, sed non adeo sunt aliis, quæ pariter universales sunt, magis diversæ, vel certæ. Vides ergo, quod recte ait Lockius, *axiomata non esse principia, & fundamenta reliquæ nostræ cognitionis*, immo non sunt, quam propositiones ab experientia evidentes habitæ, sed sub generali forma reductæ, non absimili modo, ac reliquæ propositiones veræ ab omnibus cognitæ, nimirum ignis lucet, adeo ut pro axiomate potest teneri *ubi lux, ibi ignis*. Quod hic adnotari debet, est reciprocatio, quæ in nonnullis hujusmodi propositionibus deficit *ex. gr. totum est suis partibus æqualibus* æque vera est propositio, quam sua reciprocata, *omnes partes simul sumptæ sunt suo toto æquales*, non ita recte dici potest, *ubi ignis, ibi lux*; ast evenit hoc propter defectum perfectæ cognitionis: nescimus enim, an revera lux sit attributum essentiale ignis, nam si hoc pro statuto, ac certo haberetur, nulli dubium, reciprocam propositionem esse veram, non secus ac ista, *ubi humiditas, ibi aqua*: non est minus vera altera *ubi aqua, ibi humiditas*. Sed de hoc satis.

(36) Est cognitio intuitiva. Hac super re *V. adnotat.* 87. IV.

parte dicendum erit. His si adjiciamus *per se claras* propositiones omnes, quæ nascuntur ex distinctis nostris *ideis* omnibus, principia, quorum cognitionem a tenella ad senescentem usque ætatem adipiscimur, infinita propemodum, certe indefinita evadent; atque ex iis plurima sunt per vitæ totius curriculum penitus ipsius ignota. Sive autem citius, sive serius menti objiciantur, hoc de iis vere dici potest, ipsa per se manifesta esse, non pendere ex aliis, nihil luminis, nihil argumenti a se invicem ducere; multo minus quæ magis particularia sunt, a magis generalibus; aut simpliciora, a magis compositis: quæ enim simpliciora sunt & minus abstracta, magis in usu versantur quotidiano, atque facilius & citius mentem subeunt. Quæcunque vero *ideæ* maxime sunt perspicuæ, ejusmodi propositionum omnium evidentia & certitudo in hoc posita est, quod intellectus videt certo, *ideam* eandem esse eandem, atque diversas duas *ideas* a se diversas esse. Quando enim quis in mente *ideas* habet *unius* & *duorum flavi* & *cærulei*, fieri nequit, quin certo sciat *unius ideam unius* esse, & non *duorum ideam*; atque *flavi ideam flavi* esse, non *cærulei ideam*. Nemo enim *ideas* in mente confundere potest, quas distinctas habet: eo enim pacto distinctæ simul & confusæ essent, quod plane repugnat: atque nullas omnino distinctas habere, est facultatum usu omni, & cognitione prorsus carere. Ubi igitur *idea* quædam de seipsa affirmatur, aut duæ plane diversæ Ideæ de se invicem negantur, mens propositioni istiusmodi, quamprimum termini intelliguntur, sine ulla hæsitatione aut argumentatione, statim assentitur, licet non antea de ejusmodi generalioribus propositionibus, quas *Axiomata* vocamus, secum cogitet.

§. XI.

§. XI.

Axiomata ista generalia quem usum habeant.

QUid igitur dicendum est? Num, axiomata ista generalia nullius prorsus usus esse? minime (*): etiamsi non eum, qui vulgo creditur, usum fortasse habent. Sed cum fieri possit, ut illi, qui ea in dubium vocant, quæ nonnulli de principiis hisce dixere, perinde forsan accusentur, etsi scientiarum omnium fundamenta convellerent, operæ pretium erit, accuratius paulo exquirere, quomodo usui nobis sint, quomodo non sint, ad aliarum rerum cognitionem.

Primo, ex dictis patet, ea haud usui nobis esse ad minus generales, & per se claras propositiones probandas aut firmandas (37).

(*) Sic juxta *Coste* versionem.

(37) Si diceret, *ex. gr.* a, b, c sunt partes quantitatis A, potest ope universalis propositionis, vel axiomatis *omne totum est suis partibus equale* demonstrari $A = a + b + c$. Pro Tyronibus exemplum afferam: omne totum est suis partibus equale; atqui A est totum integrale a, b, c, ergo A est æqualis a, b, c. Debet ergo distingui demonstratio veritatis ab intuitione veritatis. Video A conflata partibus a, b, c. Si mente A, utpote quantitas integralis considerata, a partibus suis abstrahatur, & tanquam sejuncta perparum consideratur, comprehendimus perbelle idem esse ac $a + b + c$, per consequens equalis a b c. Id habetur ex cognitione intuitiva ab abstractione mentis magis confirmata; sed hoc modo intuitur veritas, non demonstratur; non ita si axiomare utor, *omne totum est suis partibus equale*; nam ope demonstrationis internoscitur ab omnibus $A = a + b + c$, etsi nonnulli sint minus perspicaces. Vides ergo quod axiomata non valent ad propositiones minus generales, probandas, quatenus loquitur de veritatis intuitione, nam semper absque axiomate, *omne totum est suis partibus equale*, possum internoscere clare $A = a$ b c, sed non facile possum absque axioma-

Secundo, Neque minus patet, non ea fundamenta esse quibus ulla scientia subnixa unquam fuerit. Scio equidem, inter Scholasticos sermonem esse multum de scientiis, &, quibus eæ fundantur, *axiomatibus*. Velim quis mihi scientiam aliquam ostenderet, ego me herculè nullam unquam inveni, ullo axiomate, multo minus duobus istis subnixam, *Quicquid est, est*.(38), atque *Impossibile est, idem simul esse, & non esse* (39). Certe is magnam a me initurus esset gratiam, qui adduceret mihi alicujus scientiæ Systema, quæ hisce aut id genus aliis axiomatibus niteretur; & ubi non contrarium demonstrari posset, quod nimirum hæc scientia firmo innitatur fundamento, licet nullum ejusmodi axiomatum accedat adminiculum. Rogarem etiam, annon *axiomata* generalia eundem in *Theologia*; quem in aliis scientiis, usum habeant? Hic adhiberi solent ad tollendas controversias. Puto autem neminem propterea dicturum, Christianam religionem niti axiomatibus istis aut nos ab

mate ipso hujumodi veritatem aliis comunicare vel uno tempore ego ipse eam percipere. Habetur tum ut idea completa quæ sub uno vocabulo veritatem antea enucleatam, ac statutam enunciat. Igitur usui sunt axiomata ad demonstrationem, non, ut diximus, ad subitaneam & immediatam intuitionem veritatis, Lockius ergo recte inquit ad probandas propositiones minus universales haud conferre axiomata, nam revera internoscitur prius veritas particularium, & postea universalium propositionum, si hæ ab illis emergunt (29. *tom.* 1.): sed non ideo debet dici non magnopere valere ad veritatem alicujus propositionis particularis demonstrandam, ut hactenus enodavimus.

(38) Est verborum repetitio ad firmandum conceptum, adhibita: at sane nihil valet ad claritatem, neque ad demonstrationem ipsius conceptus, vel veritatis, ut meditantibus patet.

(39) Est idearum oppositio quæ incompossibilitatem parit: nos ea utimur in demonstrando, ideam negativam non posse evadere affirmativam actu quo in negatione perduret. Per se profecto nihil valet, at est utilis pro confutatione, vel pro fallaciis enodandis.

ab his principiis mutuari eam, quam habemus, istius cognitionem. Sine revelatione, unde hausimus eam, fieri non poterat, ut axiomata ista sanctissimam hanc religionem nobis aperirent. *Ideam* quando invenimus, cujus interventu aliarum duarum connexionem cernimus, hæc revelatio est facta divinitus per vocem rationis; ita enim in veritatis, prius ignotæ, cognitionem devenimus. Cum Deus veritatem aliquam nobis aperit, hæc revelatio est ab eo per vocem spiritus ipsius facta, qua cognitio nostra augetur. Nos vero neque in priori isto, neque posteriori casu lumen aliquod aut cognitionem ab axiomatibus mutuamur. In priori nascitur ea ex rebus ipsis, quarum veritatem ex illarum convenientia aut repugnantia percipimus. In posteriori, Deus ipse eam nobis immediate exhibet, atque dictis ejus fidem constare ex eo scimus, quoniam ipse verax est (40).

Tertio, nullius nobis usus sunt ad progressus in scientiis faciendos, aut latentes adhuc veritates aperiendas. Clarissimus *Nevvtonus* in libro (*) suo, qui sermone hominum nunquam satis celebrabitur, propositiones multas demonstravit, quæ veritates sunt, orbi literato prius inauditæ, & ex quibus Mathesis haud parva incrementa ceperit. Ad eas veritates investigandas, non ille axiomatibus istis generalibus, *Quicquid est*, *est*; *Totum est majus sua parte*, aut similibus usus est, verum demonstrationum ista-

 rum

(40) Propositiones universales perbelle possunt reduci ad axiomata (35.), per consequens Teologia potest inniti iis fundamentis, scil. *Deus nec falli nec fallere potest*: *Verba Dei sunt certæ veritates &c.* Verum est, quod hæ propositiones, vel axiomata, habentur ex reflexione, non observatione sensuum, at ideo non sunt minus veræ, quam ceteræ de quibus non est dubitandum?

(*) Inscribitur: Philosophiæ Naturalis principia Mathematica.

rum cognitionem adeptus eſt, intermedias *ideas* inveniendo, quæ convenientiam oſtendunt aut repugnantiam *Idearum*, prout in enunciationibus exprimitur, ab eo demonſtratis. Hoc præcipuum eſt intellectus humani negotium & omnium maximus progreſſus, cujus unquam particeps fieri poteſt ad amplificandam ſuam cognitionem, & ad perfectiores reddendas ſcientias, qua in re conſideratio horum axiomatum aut id genus aliorum, quæ in Scholis tam magni æſtimantur, illum prorſus nihil adjuvat. Vellem itaque ii, apud quos *axiomata* hæc, a majoribus accepta, tantam admirationem obtinent, ut ſine iis putent in rerum cognitione, aut ſcientiis nihil inchoari ac profici poſſe, inter rationem aut methodum cognitionis ſive ſcientiæ perquirendæ, atque inter methodum cognitionis acquiſitæ cum aliis communicandæ, diſcrimen ſtatuerent; viderent profecto, hæc generalia axiomata non claves eſſe, quibus a ſcientiarum inventoribus cognitionis abdita primum reſerata fuerunt, nec in iis eſſe jacta ſtupenda ſcientiarum fundamenta: etiam poſtea, uni Scholæ cœptæ ſunt inſtitui, & ſcientiæ profeſſores nactæ ſunt, qui docuere ea, quæ inventa erant ab aliis, ſæpius axiomatibus uſi ſunt, hoc eſt, certas quaſdam propoſitiones per ſe claras tradidere, quas in Scholis eorum diſcipuli pro veris & certiſſimis amplexantes, pro re nata poſtea adhibuerunt ad res ſingulares probandas, quæ minus notæ ſunt, quam axiomata iſta generalia, quæ, a præceptoribus diligenter ſæpius inculcata, altius in animum penetrarunt. Etſi enunciata iſta particularia, exquiſitius examinata non minus per ſe clara ſunt, quam *axiomata* generalia, quæ ad ea probanda adhibentur; atque in iis quidem primi inventores veritatem cernebant ſine ullo horum axiomatum generalium adminiculo: haud ſecus ſe res nunc haberet, ſi modo homines animos ad ea ſtudioſe attenderent.

Ha-

Hactenus ostendimus, in quibus axiomata nullum præstent usum; nunc etiam videamus, in quibus hæc nobis usui esse possint.

Primo, ut dixi, usum præstant in vulgatis methodis scientiarum tradendarum, quatenus jam magnum fecere in iis progressum; ad illarum vero ulteriores progressus parum aut potius nihil faciunt.

Secundo, usui esse possunt in disputationibus litigiosis, ut Sophistarum strophas elidamus, atque verborum faciamus compendium. Qua de causa rogaverim Lectores meos, ut mihi dent hanc veniam, quo examinare possim, numne necessitas, axiomatibus istis in hoc negotio utendi, instituta fuerit hac, quam mox indicabo, ratione. Nimirum in *Scholis* moris erat, ut animi dotes, atque uniuscujusque acumen ingenii, atque eruditionem eo, quo pollebat, disputandi artificio metirentur; hinc ei victoriam adjudicabant, qui acrius & obstinatius sententiam suam defenderat & ultimo loco ad adversarii objectiones responderat, & ita exinde sequi putabant, illum non tantum melius fuisse ratiocinatum, sed etiam a potiori sententia stetisse. Cum itaque fieri posset, ut inter subtiles & peritos disputatores concertationes in longum traherentur, nec dijudicari possent, dum alteri ad propositionem quamvis probandam *medius* semper *terminus* suppetebat, atque alteri facile erat, distinctione adhibita, aut sine ea, constanter *majorem* aut minorem argumenti propositi negare: ut igitur, quoad ejus fieri potuit, cautum esset, ne concertationes in infinitam syllogismorum seriem excrescerent, generales quædam enunciationes, ut plurimum per se claræ, in Scholas introductæ erant, ut illæ, quia de iis inter omnes conveniebat, pro generalibus quibusdam veritatis mensuris, atque (ubi disputantes non alia sibi principia statuebant) pro principiis haberentur, a quibus haud fas erat litigantibus recedere. Hoc modo *axiomata*

ista, *Principiorum* nomen adepta, a quibus disputantium arbitria penderent, ex errore hominum, obtinuere tandem ut fontes e quibus cognitio omnis manaverit, & tanquam fundamenta, quibus omne scientiarum ædificium inniteretur; quoniam in ipsorum disputationibus, si quando ad ejusmodi axioma esset perventum, statim altercantes pedem figerent, nec ulterius progredi conarentur, posito contentionum termino. Sed de hoc errore fusius ante a me fuit actum.

Ex Scholis ista, quæ scientiarum fontes vulgo habentur, axiomata in communitatem civilem manarunt, atque usurpari solent ad litigantium Sophistarum ora obturanda, contra quos, cum hæc generalia & per se clara principia negent, haud ulterius disputandum est. Hac vero occasione non nisi ad finem altercationibus ponendum faciunt. Nam, si rei fundamentum spectemus, & ejusmodi axiomatum urgeamus significationem, experiemur, quod nobis ullam cognitionem novam insinuent. Hoc jam factum est idearum intermediarum beneficio, quibus in disputandi negotio usi sumus, & quarum nexus intelligi potest sine horum axiomatum adminiculo, ita ut harum idearum ope veritas ante cognosci possit, quam ejusmodi axioma fuerit productum & argumentum usque ad primum principium perducatur. Nec homines opus haberent, ut sophistica argumenta agnoscerent & desererent in ipso conflictu, si ea antea missa facerent, quam ventum esset ad prima principia, etsi in suis altercationibus veritatem, non victoriam, sibi propositam, haberent. Sic enim axiomata usum præstant ad eorum pervicaciam infringendam, quos proprius mentis candor, ut se victi dederent, exhortari debebat, priusquam ad hæc remedia perveniretur. Quoniam, vero in *Scholis* non licitum solum, verum gloriosum est etiam, eo usque resistere & repugnare contra evidentem veritatem,

quoad

quoad obfirmate certans fuerit devictus, hoc eſt, uſque dum eo fuerit perductus, ut vel ſibi ipſe contradicat, aut receptum communiter axioma aliquod neget; haud mirum eſt, ſi homines vitæ & ſermonis conſuetudine non pudeat iſtius, quod glorioſum eſt in Scholis, nimirum magna cum pertinacia ſententiam, quam ſemel receperunt, ſive ſit vera, ſive falſa, & licet etiam fuerint convicti, defendere & ne latum quidem unguem ab ea diſcedere (41). Methodus hæc inquirendæ veritatis & cognitionis adipiſcendæ ratione adeo aliena eſt, ut, quotquot rationis participes ſunt, niſi, quorum animos ſectarum inſtituta & præjudicatæ opiniones infecerunt, credere vix poſſint, eam receptam eſſe ab iis, qui veritatis & ſacrarum rerum cultores videri volunt, & quorum munus eſt, religionis, & Philoſophiæ dogmata imperitis tradere. Utrum vero periculum ſit, ne hujuſmodi inſtitutio teneros juvenum animos a veritatis ſtudio, atque inveſtigatione abripiat, & fortaſſe efficiat, ut illi in dubium vocent, an etiam veritas ulla ſit, aut digna ſaltem, quam cupidiſſimis animis amplectantur, haud noſtri hic inſtituti eſt, quærere. Puto equidem, exceptis quibuſdam locis, ubi *Philoſophia Peripathetica* in *Scholas* introducta eſt, idque ſine ullo alio emolumento, quam quod altercandi artificium hominibus tradidit, *Axiomata* hæc nuſquam terrarum obtinuiſſe, ut ſcientiarum fundamenta & cognitionis acquirendæ ſubſidia haberentur. A generali enim hac propoſitione, *Quicquid eſt, eſt*, aut *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*, quis co-

---

(41) Verum ait Lockius, & a nobis hactenus dictum id luculenter demonſtrat. Quod noſtram hic trahit attentionem porro eſt, nonnullorum pervicacia in impugnando veritatem cognitam. Credunt nomen perſpicaciorum acquirere, nunquam argumentationem ſiſtendo, etiam ad luculentiſſima argumenta, quæ contraria probant. O caput delirum!

cognitionis suæ fundamentum orditus est unquam? aut ab alterutra, tanquam scientiæ principio, quis utile aliquod sistema traxit? Fateor equidem, usum habent, ut dixi, in disputationibus ad tollendas altercationes, ostendendo, quam absurdum & sibi contrarium sit, quod alter dicit, & quam turpe sit, illud inficiari, quod omnes, & quod ipsemet etiam verum esse, novit. Aliud vero est ostendere, aliquem in errore esse; aliud efficere, ut ipsius intellectus illustretur, veritatemque nanciscatur; atque scire vellem, quasnam veritates, non antea, & sine illarum propositionum adminiculo, perspectas, duo ista enunciata nobis exhibere possint. Quæcunque ex iis consequentia & ratiocinatio elicietur, versabitur hæc tantum circa prædicationes & propositiones prorsus identicas. Particularis propositio omnis, quæ *identitatem* aut *diversitatem* spectat, si quis eam diligenter & attente consideraverit, non minus clare & certo per se cognoscitur, quam utravis propositionum generalium istarum, hoc tantum observato discrimine, quod posteriores istæ propositiones, cum omni occasione possint applicari, citius admittantur. Quod ad alia minus generalia axiomata attinet, multa ex iis nihil sunt nisi propositiones pure verbales, & in se nihil continent, præter certorum nominum ad se invicem respectum. In enunciato isto *Totum æquale est omnibus suis partibus*, quænam alia veritas realis nobis traditur, quam quæ in significatione vocis istius *Totum* continetur? Et, qui scit vocem *Totum* illud significare, quod conflatum est ex partibus omnibus suis, num credere possemus, illum nullo modo etiam simul scire, quod totum æquale sit omnibus suis partibus? nec minor est ratio, cur enunciatio hæc, *mons est altior valle*, & multæ ejusmodi aliæ in axiomatum numerum cooptentur. Attamen qui Mathesim docent, quomodo in iis, quæ ipsi in disciplina ista norunt, alios erudiunt, hoc itaque id genus alia non

sine

ſine cauſa, in ipſo ſyſtematis limine, inter axiomata ſua collocant, ut diſcipuli illorum, initio de generalibus iſtis enunciationibus cogitare ſæpius aſſueti, regulas in promtu habeant, quas ad caſus particulares ſemper accommodare poſſint: non quod, ſi æque expendantur, claræ magis aut perſpicuæ ſint, quam res iſtæ ſingulares, ad quas probandas adhibentur, verum quia, cum notiores ſint menti, repetitæ ſtatim intelliguntur mentemque convincunt. Hoc vero, ut dixi, ex crebro potius illarum propoſitionum uſu, & quia, ſæpiſſime de iis cogitantes, animo noſtro eas firmiter affigimus, quam quidem a rerum ipſarum diverſa evidentia, provenit. Antequam vero cogitandi & ratiocinandi formulas & methodos conſuetudo in animo fingit & confirmat, rem ſecus longe ſe habere exiſtimo: Atque ita teneræ ætatis puerulum, cum quædam pomi, quo veſcitur, pars ipſi aufertur, multo clarius illud cognoſcere in particulari iſto exemplo, quam per generalem hanc propoſitionem *Totum eſt æquale omnibus partibus ſuis*; & ſi alterum probandum ipſi eſſet, magis conſentaneum eſſe, arbitror, ut generale illud per ſingulare, quam ſingulare per generale explicaretur. Cognitio enim noſtra a ſingularibus incipit, atque ita gradatim ad univerſalia progreditur: liceo poſtea mens inverſo ordine utatur; nam, quoad ejus fieri poteſt, maxime generales propoſitiones efficit, has aſſidua cogitatione ſibi reddit familiares in animoque defigit, atque ad eas recurrere ſolet, tanquam unicas veri & falſi normas. Ex crebro hoc illarum uſu, tanquam normarum, ad quas aliarum enunciationum veritas exigitur, temporis progreſſu fit, ut propoſitiones magis particulares, inde veræ & evidentes eſſe putentur, quod magis generalibus iſtis propoſitionibus conveniant, ad quas in communi vita atque in diſputationibus tam frequenter provocamus, & quæ etiam ubique perpetuo obtinent.

Atque

Atque hanc rationem esse puto, cur inter tot per se claras propositiones, solæ universaliores *Axiomatum* nomen fuerint consecutæ.

§. XII.

Axiomata, nisi verborum usu cauti simus, contradictoria possunt confirmare. Exemplum petitur a vacuo.

DE axiomatibus istis generalibus liceat mihi aliud adhuc annotare, tantum nimirum abesse, ut illa aditum nobis aperiant ad veram cognitionem, aut nos in ea confirment, ut, si in nobis notiones sint falsæ, vacillantes, aut incertæ, atque si inanes magis sonos, quam stabiles & determinatas rerum ideas sequamur, nos potius in erroribus obfirmatiores reddant, & pro hac tam usitata methodo, qua voces usurpamus sine ullo ad ipsas res respectu facto, efficiant, ut res inter se plane pugnantes istis confirmemus. Verbi gr. qui cum *Cartesio* statuet, *corporis ideam* nihil aliud esse, quam extensionem, per *Axioma* hoc, *Quicquid est, est*, nullum esse *vacuum*, sive spatium non repletum corpore, facile demonstrare poterit. Cum enim *idea*, cui nomen illud *corporis* tribuit, nuda sit extensio, certo scit, spatium non posse corpore vacare. Eam enim, quam habet, *ideam extensionis* clare & distincte cognoscit, & scit, *eam esse, quæ est*, & non aliam *ideam*, etiamsi tria hæc nomina adepta est, *extensionis*, nempe, *corporis & spatii*: quæ tria nomina, cum eandem *ideam* denotent, sine dubio, non minus certo & evidenter de se invicem, quam singulæ illarum de semetipsis, affirmari possunt: & quidem dum unam eandemque numero *ideam* signant, affirmatio hac *Spatium est corpus*, non minus vera & identica est in

in sua significatione quam ista, *Corpus est corpus*, partim in significatione, partim in sono (42).

§. XIII.

Idem exemplum fusius explicatur.

SIn vero alius sibi aliam effinxerit, diversam ab ea *Cartesii*, *Ideam*, rei, cui tamen simul cum *Cartesio*, *corporis* etiam nomen imponit, atque voluerit, ideam istam entis esse *extensi* simul & *solidi*, haud minus facile demonstrabit, dari posse *vacuum*, aut spatium omni destitutum corpore, quam Cartesius contrarium monstrare annisus est. Quoniam ea, quam *spatium* appellat, simplex tantummodo sit *extensionis idea*, atque ea, quam *corpus* vocat, sit *idea* complexa extensionis & *resistentiæ*; aut *soliditatis* simul in eodem subjecto; *Ideæ* hæ corporis & spatii non sunt una plane, eademque idea, verum in intellectu non minus distinguuntur, quam *ideæ unius* & *duorum*, *albi* & *nigri*, aut *corporeitatis* & *humanitatis*, si modo liceat mihi barbare ita loqui: quare prædicatio illarum neque in mente, neque in verbis, quibus signatur, est identica, verum negatio alterius de altera, sive propositio hæc, *extensio*, sive *spatium non est corpus*, non minus vera est & certa, quam *Axioma* hoc, *Impossibile est*, *idem simul esse*, & *non esse*.

§. XIV.

(42) Id oritur non ex principio, sed ex mala applicatione principii.

§. XIV.

Hæc Axiomata non probant rerum extra nos constitutarum existentia.

QUanquam vero utraque hæc propositio, nimirum, *esse vacuum*, & *non esse vacuum*, per duo hæc per se nota principia, *Quicquid est*, *est*; atque *idem non potest simul esse*, *&* *non esse*, æque demonstrari potest: Horum tamen principiorum neutrum poterit unquam ostendere & probare, dari corpora actu existentia, aut, quænam sint hæc corpora. Illud enim tantum ope sensuum nostrorum, quoad ejus fieri potest, perdiscendum est. Universalia ista & per se nota principia, cum non nisi constans, clara, & distincta sit cognitio generalium *idearum* nostrarum, efficere nequeunt, ut quidvis certo cognoscamus, quod extra mentem nostram sit; certitudo illorum sola cognitione nititur *ideæ* uniuscujusque in se consideratæ, & distinctionis istius ab aliis omnibus; circa quæ errare non possumus, quamdiu istæ ideæ in mente nostra sunt, licet, nomina sine *ideis* retinentes, aut confuse eas nunc pro hac, nunc pro alia *idea* usurpantes, errore sæpius ducamur. Quibus in casibus vis horum axiomatum, cum ad sonum tantum, non vocabulorum significationem pertingat, nihil præter confusionem parit & errorem. Hæc non alio animo dico, quam ut ostendam, Axiomata hæc, utcunque scientiarum subsidia & propugnacula esse perhibeantur, haud obstare, quo minus homines, cum in vocabulorum usu parum sunt cauti, a vero aberrent. Et licet dixerim, ea nullius nobis usus esse, ut in scientiis procedamus, atque ab iis erroris magnum esse periculum, si *ideis* indeterminatis applicentur, multum tamen absuit, ut ego,

prout

prout nonnulli temere nimis de me pronunciarunt (*), dixerim, aut censuerim quidem, ea prorsus rejicienda esse. Dico ea esse veritates & quidem veritates per se claras & evidentes; & hac ratione non possunt abjici & repudiari. Quo usque itaque earum vis atque valor patet, frustraneum esset, si quis eas includere & restringere conaretur, de qua re ego nunquam ne per somnium quidem cogitavi. At puto, me neque in veritatem, neque in scientias fore injuriosum, si dixerim, non eum, quem multi obtendunt iis usum inesse. Nec injurium est, homines admonere, ut sibi caveant, ne in iis usurpandis semet in erroribus obfirmatiores reddant.

§. XV.

Non sine periculo adhibentur hæ propositiones ad complexas ideas *probandas.*

IN verbalibus vero propositionibus utcunque utilia sint, naturæ tamen substantiarum, extra nos existentium, ne minimam quidem cognitionem illorum ope attingimus, nisi, quatenus experientia nituntur. Et licet, quæ a duabus istis propositionibus quas *principia* dicimus, proficiscuntur, perspicua sint eorumque usus ad res probandas, neque nocens, neque periculosus sit, ubi horum axiomatum ope ad earum probationem confirmandam plane non est opus, quia illæ per se sunt satis claræ sine horum interventu, hoc est, ubi nostræ *ideæ* sunt determinatæ, & per vul-

(*) Hæc sunt verba cujusdam auctoris, qui arguit Lockium, ex eo quia dixit parvi, vel nullius usus possunt axiomata esse. „ On ne voit pas trop bien ce qu'il entend par LAIASIDE „ *laisser à l'ecart*. Peut être a-t-il voulu dir par-là *négliger*, *mepriser*. Quoi qu'il en soit, on ne peut mieux faire que de rapporter les propres termes, COSTE.

vulgata illarum nomina satis cognitæ; quando tamen principia ista, *Quicquid est, est*; atque *impossibile est, idem simul esse, & non esse*, adhibentur ad enunciationes probandas, in quibus vocabula sunt, *ideas* complexas significantia, *homo* puta, *equus*, *aurum*, *virtus*; ibi plurimum ab iis periculi est, efficiuntque vulgo, ut pro vero falsum, pro demonstratione, quod incertum est, amplexemur; hinc error, obstinatio inflexibilis, atque omnia ista incommoda, quæ a mala ratiocinatione proficiscuntur. Ratio non est, quod principia ista minus vera sint, aut minorem vim habeant ad propositiones probandas, quarum termini *ideas* complexas significant, quam ubi propositiones circa *ideas* simplices versantur. Verum quia homines errant sibique vulgo imponunt, putantes nimirum, si eosdem terminos retinerent, tunc enunciationes circa easdem res esse, licet, quas denotant, *ideæ* revera diversæ sint. Quare Axiomata hæc adhibentur ad eas firmandas enunciationes, quæ inter se pugnare videntur, quod patet ex memoratis antea demonstrationibus circa *vacuum*. Quare quamdiu homines, prout vulgo solent, vocabula pro rebus sumunt, consequens est, ut Axiomata hæc inservire possint & adhibeantur etiam revera ad enunciationes contradictorias probandas. Sed hoc copiosius adhuc in sequentibus demonstrabitur.

§. XVI.

Exemplum petitur ab Homine.

EXempli gratia, sit *homo* illud, de quo aliquid demonstrandum est per prima hæc principia, videbimus, demonstrationem istam verbalem tantum esse, non manifestæ & universalis veritatis, nec nobis ullam Entis cujusdam extra nos existentis cognitionem esse suppeditaturam. Primo, cum puerulus *ho-*

hominis notionem cogitatione sibi format, probabile est, *ideam* in ipso similem esse picturæ istius, quam ex junctis simul corporis lineamentis omnibus exterioribus pictor efficit; ita ut ex ejusmodi *idearum* complexione in mente simplex ista *idea* complexa conficiatur, quam *hominem* vocat; quarum hic in *Anglia* cum *albus* sive *carneus color* partem hujus ideæ constituat, puerulus ille demonstrare potest, *Æthiopem* non esse *hominem* (43), quoniam color albus semper erat una *idearum* simplicium, e quibus *hominis* ideam complexam coagmentare solebat: atque demonstratio ista hoc principio nititur, *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*; cujus certitudinis fundamentum non universalis ista propositio est, quam ne fando quidem unquam accepit nec de ea cogitavit, verum clara, quam habet, & distincta perceptio *idearum* suarum *albi* & *nigri*, quas inter se confundere nequit, sive axioma illud noverit, nec ne. Atque puerulo huic, aut alteri cuipiam, *hominis* simili *idea* imbuto, demonstrari non potest, *hominem* anima esse præditum, quoniam notio ista *Ideam* ejus *hominis* non ingreditur. Quare principium illud, *Quicquid est, est*, non ei hanc rem probat, sed collectione nititur, & observatione, per quam hominis *idea* ejus complexa efficitur.

§. XVII. *Secundo*, Alius qui, ulterius progrediens in *idea* conficienda, quam *hominem* appellant, formæ exteriori *risum* adjicit, & *sermocinationem*, Infantes recens natos & Fatuos non esse homines demonstrare poterit, ejusdem axiomatis adminiculo, *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*: Et quidem in quosdam incidi viros satis perspicaces, qui reipsa negarunt, infantes & fatuos esse homines.

(43) De hoc dubitavit Montesqueu. Saltem id scripsit. V. Spir. delle L.

§. XVIII. *Tertio*, Alius fortasse, complexam istam *ideam*, quam *hominem* appellat, tantum ex corporis in genere atque facultatis sermocinandi & ratiocinandi, sine ullo figuræ externæ respectu, *ideis* componit. Atque ejusmodi homo potest demonstrare, posse *hominem* manibus carere, atque *quadrupedem* esse, cum horum neutrum in *idea* ejus *hominis* includatur; atque in quocunque corpore, qualiscunque demum sit figuræ, *ratio* & *oratio* simul inveniuntur, illud hominem esse arbitratur: Idque, quoniam evidentem habet ejusmodi ideæ complexæ cognitionem per hoc axioma, *Quicquid est, est*.

§. XIX.

Axiomata hæc parum conferunt ad rem quamdam cujus ideas determinatas & claras habemus probandam.

RE itaque diligenter considerata, dicendum puto, ubi *Ideæ* in mente determinatæ sunt, atque nota & certa nomina iis a nobis annectuntur, ibi *Axiomata* hæc *parvi*, aut *nullius usus* esse ad convenientiam aut repugnantiam illarum probandam. Qui istiusmodi enunciationum veritatem aut falsitatem, sine horum, aut similium axiomatum adminiculo, haud percipere atque internoscere potest, is parum ab iis adjumenti accipit: Quomodo enim horum axiomatum magis, quam aliorum enunciatorum, quæ non minus per se clara & perspicua sunt veritatem sine ulla probatione perspectam haberet? Hinc est, quod *cognitio intuitiva* non ad alteram partem magis, quam ad alteram probandam ullum argumentum exigat, nec quidem afferri possit. Secus si quis dixerit, iis cognitionis & certitudinis omnis fundamentum convellet: Et qui argumentum afferri vult ad hanc, *duo sunt æqualia duobus*, non minus illud re-

requiret ad istam propositionem probandam, *Quicquid est, est*. Et qui requiret, ut demonstretur, *duo non esse tria*, *album non esse nigrum*, *Triangulum non esse circulum*, &c. aut alias quasvis *ideas* duas determinatas & distinctas non unam esse eandemque numero *ideam*, demonstrari etiam sibi vult, ut convincatur, *Impossibile esse idem simul esse*, & *non esse*.

§. XX.

Periculum est ab iis, ubi ideæ nostræ sunt confusæ.

ET sicut Axiomata non magni sunt *usus*, ubi determinatas *ideas* habemus, ita, uti demonstravimus, non sine *periculo adhibentur*, ubi *ideæ* nostræ haud claræ sunt & distinctæ; atque ubi vocibus utimur non claris & distinctis *ideis* annexis, verum quæ vagæ sunt & incertæ significationis, quæque mox aliam, mox aliam *ideam* denotant; hinc varii errores nascuntur, quos Axiomata hæc (quæ afferuntur ad propositiones probandas, in quibus termini *ideas* indeterminatas significant) confirmare altiusque menti pro sua auctoritate infigere possunt.

CAP. VIII.

De Propositionibus Nugatoriis.

§. I.

Quædam propositiones nihil plane cognitionem nostram augent.

UTrum Axiomata, quæ in superiori capite copiose erant tractata, rerum cognitioni eum, qui vulgo putatur, usum præstent, aliis judicandum relinquo. Hoc, puto audacter affirmare, quasdam esse propositiones universales, quæ, licet veræ sint nullum tamen menti lumen, nec cognitioni nostræ incrementum afferunt. Ejusmodi sunt.

§. II.

Uti primo, propositiones Identicæ.

PRimo, *Propositiones omnes pure identicæ*. Primo intuitu patet nullam in his cognitionem contineri. Quando enim idem terminus de se ipso affirmatur, sive pure sit verbalis, sive claram aliquam aut realem *ideam* in se contineat, in propositione ista, sive a nobis fiat, sive ab alio proponatur, nihil est, quod non antea sit cognitum. Fateor equidem generalis ista, *quicquid est*, *est*, hominibus nonnunquam usui esse posse, ostendendo, quam absurde agant, quando per verborum ambages, aut terminos æquivocos, in singularibus, idem de seipso negare velint; quoniam nemo sensui communi nuncium palam adeo remittet, ut inter se repugnantia plane affirmare ausit;

ausit; quod si vero hoc fieret, excusandus est ille, qui verbis cum ejusmodi nomine amplius disceptare nolit. Dicendum tamen puto, neque receptum communiter axioma illud, nec aliquam quamvis propositionem identicam quicquam nos docere; & licet in ejus generis propositionibus, hoc tam celebratum Axioma, cui tanta vis vulgo assignatur, ut demonstrationis fundamentum habeatur, possit usurpari & sæpe etiam usurpetur ad illas conformandas; omne tamen id, quod probant, si fundamentum spectes, nihil aliud continet, quam hoc, quod *idem vocabulum de seipso affirmari possit cum certissima evidentia, ut prorsus de ejusmodi propositionis veritate dubitari non possit*, & hæc subjungere mihi liceat, *nec tamen hac ratione ad ullam realem cognitionem adspirare possimus*.

§. III. Alioquin, omnium maxime imperitus, qui intelligit tantummodo particulas istas affirmandi & negandi *sane* & *non*, mille propositiones conficere potest, quibus, etsi veritatem illarum certo cognoscit, nihil tamen cognitione proficit; ejus modi sunt, *Quicquid anima est, anima est*; aut, *Anima est anima*; *Spiritus est spiritus*; *Larva est larva*, *&c.* Hæ omnes huic propositioni plane respondet, *Quicquid est, est*, i. e. *quicquid habet existentiam, habet existentiam*; aut *Qui habet animam, habet animam*. Quid hoc aliud est, quam verbis jocari & nugari? aut simiam imitari, ostreum e sinistra in dextram jactantem; quæ si verba nostra proferret, dicere posset, ostreum in dextra est Subjectum, in sinistra est Prædicatum: atque ita, nihilo sapientior reddita, per se claram hanc propositionem conficeret, *Ostreum est Ostreum*. Qui modus rem tractandi non secus menti hominis, quam Simiæ fami satisfaceret; & æque inserviret posterioris lautiori incremento, ac prioris in cognitione progressui atque augmento.

 Scio,

Scio, quosdam esse, qui, quoniam *propositiones identicæ* per se claræ sunt, haud leve in iis momentum esse putant ad Philosophiam & omnem rerum cognitionem. Eas per se claras esse, haud inficior: Fateor insuper, omnis nostræ cognionis fundamentum esse facultatem istam, quæ in nobis est, percipiendi, *ideam* eandem esse eandem, eamque ab aliis omnibus secernendi, prout superiori capite monstratum est. Hinc tamen non sequitur, haud eos nugari, qui cognitionis augendæ ergo *propositionibus identicis* utuntur. Licet quis propositiones hujusmodi, *Voluntas est Voluntas*, *Lex est lex*, *Obligatio est Obligatio*, *Honestum est Honestum*, *Turpe est Turpe*, in infinitum proferat, exinde tamen scientia Morali nihil profecturus est. Ii omnes, qui quid *honestum*, quid *turpe* sit, prorsus ignorant, veritates istas non minus perspectas habent, quam qui honestorum & turpium peritissimi sunt. Ab istiusmodi vero propositionibus quidnam proficitur in rerum cognitione, quæ utiles sunt ad vitam bene instituendam? Sine dubio homo iste nugarum amantissimus haberetur, qui, ut intellectum quadam scientia imbueret, multum temporis in coacervandis propositionibus *Identicis* teneret & ejusmodi Axiomatibus inniteretur, uti sunt, *Substantia est Substantia*, *Corpus est Corpus*, *Vacuum est Vacuum*, *Turbo est Turbo*, *Centaurus est Centaurus*, & *Chimæra est Chimæra* &c. Nam omnes hæ & id genus aliæ propositiones æqualiter veræ & certæ & per se evidentes sunt. Interim illæ non nisi *Propositiones Frivolæ* dici & haberi possunt, si istis, tanquam institutionis Principiis uti volumus, aut niti tanquam mediis, quibus ad cognitionem perveniamus; quoniam ad nulla nos instruunt rem, quam non alius quivis, qui modo ratiocinari potest, teneat, licet ei nemo hoc dixerit, nimirum, quod idem vocabulum sit idem vocabulum, & quod eadem Idea sit eadem Idea. Atque sic itaque ego, hoc innixus fun-

fundamento existimavi & nunc quoque adhuc existimo, risu dignam hanc esse persuasionem, quod ante omnia proponendæ atque inculcandæ sint ejusmodi propositiones, eo fine, ut ita nova lux in intellectu accedatur & via ipsi aperiatur, qua ad rerum cognitionem felicissime grassari possit. Institutio autem in re plane diversa consistit; & qui suam ipsius, aut alterius mentem ad veritates perducere vult, nondum cognitas, necesse est, ut is *ideas* intermedias exquirat, easque ordine ita disponat, ut mens illarum, quæ in quæstione positæ sunt, convenientiam aut repugnantiam perspiciat. Hujusmodi enunciationes cognitionem pariunt; propositionibus vero identicis, ubi idem vocabulum de seipso affirmatur, non magis proficitur, quam si quis legere discenti hæc enunciata *A est A*, *B est B*, aut similia inculcaret, quæ non minus cuivis rustico indocto, quam Ludimagistro nota sunt, nec tamen per omne vitæ suæ spatium vel unicum vocabulum legere potest; ut adeo hæ propositiones aut ejusmodi aliæ puræ *Identicæ*, nihil ulla ratione conferant, quo rusticus ille ad legendi facultatem perveniat.

Si illi omnes, quotquot ægre ferunt, eas a me vocari *propositiones nugatorias*, legissent ea, atque penitus intellexissent, quæ superius a me satis clare tradita sunt, vidissent, me pet *propositiones identicas* eas tantum intelligere, in quibus idem terminus, eandem *Ideam* signans, de se ipso affirmatur. Ab hisce quarum veritas omnibus perspicua est, nec ab ullo in dubium vocatur, qui cognitionem aliquam proficisci putant, plane nugantur.

Si vero eas propositiones dicere velint *identicas*, in quibus idem terminus non affirmatur de seipso, utrum hi, quam ego, magis proprie loquantur, aliis dijudicandum relinquo. Hoc certo certius est, quicquid de propositionibus dicant, alio, quam a me traditum est, sensu, identicis, ad me neutiquam

ſpectare, nec ad ea, quæ dixi, quia omne id, quod a me fuit dictum, ſpectat ad has propoſitiones, ubi idem terminus de ſeipſo affirmatur; atque vellem, quis iſtiuſmodi propoſitiones qualdam oſtenderet, quæ vel minimi eſſe poſſint momenti ad rerum cognitionem adipiſcendam. Quod vero ad alius generis propoſitiones, quocunque modo iſtæ uſurpentur, ad me nullo modo pertinet, quoniam non eo numero habentur, quas ego *Identicas* voco.

§. IV.

Secundo, quando pars ideæ complexæ de toto prædicatur.

SEcundo, Propoſitionis nugatoriæ genus aliud eſt, *quando pars* Ideæ *complexæ affirmatur de nomine Totius*, aut pars definitionis de iſto, quod definitur, nomine prædicatur. Ejuſmodi ſunt propoſitiones omnes, in quibus *genus* de *ſpecie*, ſive terminus magis univerſalis de minus univerſali prædicatur. Ex propoſitione enim iſta, *plumbum eſt metallum*, quænam ſcientia & cognitio menti iſtius accedet, cui nota eſt *idea* complexa, quam vocabulum *plumbum* denotat? ſimplices quippe *ideæ* omnes, e quibus complexa iſta conflata eſt, quam *metallum* dicimus, nihil aliud ſunt, quam quod jam ante nomine *Plumbi* complectebatur. Quando vero vocis *metalli*, non *plumbi* ſignificatio cuipiam nota eſt, *plumbi* ſignificatio brevius explicatur, ſi dicimus, illud *metallum* eſſe, quo nomine plures iſtius *ideæ* ſimplices ſimul exprimuntur, quam ſi ſigillatim eas enumeramus, aut dicimus, illud corpus eſſe valde *ponderoſum*, *fuſile*, & *ductile*.

§. V.

Ut definitionis pars de definito.

HAud minus nugatorium est, quando *alia quævis pars definitionis de termino prædicatur, qui definitur*; *ut omne aurum est fusile*: Cum enim fusilitas una sit ex *ideis* simplicibus, e quibus ea, quam dicimus *aurum*, *idea* complexa coagmentata est, annon sonis plane luditur, cum de nomine *Auro* affirmatur, quod in nota istius significatione continetur? Et quidem ridiculum videretur, si quis serio & tanquam veritatem maximi momenti prolaturus, affirmaret, *Aurum esse flavum*; nec magis, puto, refert dicere illud *fusile* esse, nisi forte attributum istud complexam ideam, cujus in communi sermone signum est vox *Aurum*, non simul constituat. Haud video, quomodo quis eruditior fieri queat, quando quippiam, ab alio prius dictum, aut aliter jam cognitum, ipsi ostendero: Vocis enim, quam apud me aliquis profert, nisi prius cognita fuerit, significatio ab eo explicanda est. Atque ita si scio, nomen illud *aurum* sumi pro *idea* complexa *corporis*; *flavi*, *ponderosi*, *fusilis*, *ductilis*, iste me haud scientiorem & doctiorem redderet, qui, propositionem exinde contexens, gravi postea argumento, *Aurum omne fusile esse*, demonstratum iret. Ejusmodi propositiones eum tantummodo usum præstant, ut exinde intelligere possumus, quam parum ingenui hi sint homines, qui nobis persuadere volunt, quasi aliquid novi proferrent, cum tamen non nisi ad verborum, quæ jam explicuerunt, definitionem sæpius recurrant. Sed utcunque illæ sint certæ, non tamen aliam cognitionem, quam ipsius vocabulorum significationis, afferunt.

§. VI.

§. VI.

Exemplum petitur ab homine & caballo.

ALiis exemplis hoc illustremus; *Omnis homo est animal*, aut *corpus vivum*, propositio est, si qua alias, veritatis manifestæ; ad rerum tamen cognitionem haud magis conducit, quam si quis diceret, *Caballum esse equum tolutarium*; aut *animal hinniens* & *tolutim incedens*; nam hæ duæ propositiones circa verborum sensum æqualiter versantur, nec ab earum priori aliud quid discitur, quam, *corpus*, *sensus & motus*, sive potentiam sentiendi & se movendi, tres esse ex *ideis* istis, quas sub voce *hominis* soleo semper complecti; ita ut, ubi istæ haud simul junctæ reperiuntur, ibi nomen *hominis* haud usurpandum sit: Similiter ex posteriori propositione cognoscitur, *corpus*, *sensum*, *certum quendam incessum*, *& vocem*, quasdam esse ex *ideis*, quas sub *Caballi* nomine semper complector, atque nomen illud haud recte usurpari, ubi istæ non simul junctæ inveniuntur. Haud secus se res habet, cum terminus concretus, unam quandam, aut plures ex *ideis* istis simplicibus, quæ simul sumtæ, complexam *hominis ideam* conficiunt, signans, de *homine* affirmatur: Exempli gratia, si *Romanus* per nomen *hominis*, distinctas hasce *ideas* omnes, uno subjecto comprehensas, *corporeitatem* nempe, *sensibilitatem*, *potentiam se movendi*, *rationalitatem*, *risibilitatem* significaret, posset quidem unam quandam ex istis, aut omnes simul de *homine* certo & universaliter affirmare; hoc vero perinde tantum esset, ac si diceret, omnes *ideas* istas per vocem *hominem* in sermone suo patrio denotari. Simili ratione *eques Romanus*, qui nomine *Caballi* significaret sequentes ideas, nimirum *corpus certæ cujusdam figuræ, quatuor habens crura, sentiendi & se movendi facultate præditum, quod tolu-*

tim

tim incedit, *hinnit & mulierem dorso suo portare consuevit*, eadem evidentia universaliter alteram harum Idearum aut omnes simul de vocabulo *Caballi* affirmare posset, sed hoc ipso nos nihil aliud edoceret, quam, vocabulum hoc *Caballum* in Romano sermone omnes has Ideas denotare, nec posse ulli rei applicari, in qua non altera harum Idearum invenitur. At si quis dixerit, illud omne, in quo *sensus*, *motus*, *ratio*, & *risus* simul inveniuntur, *Dei* notionem actu habere, aut isti *opium* somnum posse afferre, ejusmodi homo sine dubio propositionem, quæ alios instituere debet, efficit; quoniam enim neque *Dei notionem habere*, neque *opio somnum allicere*, continetur in *idea* ista, quæ voce *hominis* denotatur, quandam rem his propositionibus edocemur, quam vocabulum hominis non simpliciter includit & significat; atque ita cognitio ista, quam hæ propositiones in se continent, plus quam *verbalis* est (44).

§. VII.

---

(44) *Pars definitionis de definito*, tota nugatoria non est, valet porro ad demonstrationem, si non valet ad suppeditandam ideam. *ex. gr.* si mea refert, demonstrare, fusioni aurum exponi, omitto auri definitionem, vel ex ea eruo quod mihi inservit, hoc est, *fusibilitatem*, & hanc enuncio propositionem *aurum est fusile*; quidquid habet notam fusibilitatis, si igni vehementi exponitur, funditur, atqui aurum habet notam fusibilitatis, quia fusile est, ergo si igni vehementi exponitur, funditur. Verum est, quod dum dico quidquid habet notam fusibilitatis, idem dico, ac si igni vehementi exponitur, funditur, per consequens nihil meæ cognitioni addit, sed dat modum faciliorem conceptus communicandi aliis. Nam hoc modo definitionis partem sumo, & eam generaliorem reddo, ope cujus artificii evidentior apparet auro inesse fusibilitas. Quando dico *aurum*, non constat omnibus esse fusibilitate præditum, nam valde complexa est idea, per consequens eam enodando, dico, *fusile esse*; & sic arguo. O. aurum est fusile. Hoc est aurum, ergo est fusile. Idem potest dici de *equo*, *homine*, *Romano &c.*

§. VII.

Hic nihil aliud discitur, quam vocabulorum significatio.

ANtequam enunciationem quis contexat, termini ipsi noti sint oportet, alioquin garruli ad instar psittaci, vocis humanæ imitatoris, quos didicit ab aliis, quosdam tantum sonos edet, non, prout animantem decet, rationis participem, iis utetur pro signis *idearum* in animo. Oportet etiam, ut in eodem sensu, quo loquens utitur, termini ab audiente sumantur, aliter, sermo ipsius absurdus, & sonus plane inanis evadet. Ille itaque pueriliter cum verbis ludit, qui propositionem efficit, in qua haud plus, quam in terminorum altero continetur, quodque jam prius notum erat: Ejusmodi est enunciatum illud, *Triangulum habet tria latera*, aut, *Crocus est flavus*. Atque hoc ea tantum conditione ferri potest, quando quis illi voces suas explicat, qui se illarum ignarum esse, aperte fatetur: Quo in casu *nihil aliud docetur, quam vocis istius significatio*, atque usus signi istius (45).

§. VIII.

Nulla autem realis cognitio.

DUo itaque genera sunt enunciationum, quarum veritas a nobis *certo* cognosci potest; primum genus est nugatoriarum istarum, in quibus *verbalis* tantum certitudo, & ad nos erudiendos prorsus inutilis, continetur. Secundum genus est enunciationum, in

(45) Id inficiari nequit. At multoties oportet ideas nostras simplices reddere, ut ab aliis intelligamur.

in quibus de re aliquid affirmatur, quod ex determinata istius *idea* complexa necessario sequitur, non vero in ea continetur; ut cum dicimus, *omnis trianguli angulus externus opposito quovis interno major est*. Hic anguli externi relatio ad oppositos internos, cum non pars sit *ideæ* complexæ, quæ *triangulum* dicitur, veritas est realis, atque realem cognitionem parit, quæ nos aliquid edocere potest (46).

§. IX.

Propositiones generales circa substantias sæpe sunt nugatoriæ.

CUm, *ideæ* simplices, quæ in substantiis simul existunt, quomodo cohæreant & se invicem complectantur, vix aliter, quam per sensus, cognoscamus, *certiores* & universaliores propositiones de iis facere non possumus, quam per nominales ipsarum essentias licet, quarum ductum hic sequamur necesse est; Hæ cum ad paucas admodum, & quæ nullius sunt momenti, si ad eas comparentur, quæ pendent ex illarum interna & reali constitutione, veritates pertingant: idcirco fit, ut, *quæ substantias spectant, propositiones generales, si veritatis sunt manifestæ, maxima ex parte nugatoriæ sint*; & si eruditionem in se continent, incertæ admodum, atque ejusmodi plerumque sunt, ut veritatem illarum perspectam habere nequeamus, utcunque in conjectura facienda diuturnæ observationis & analogiæ adjumentis

(46) Exposcerem libenter, an dum dico *angulum externum cujuscunque trianguli*, ratione ab ipso Auctore superius allata, dicam pariter *majorem esse quovis interno & opposito*? Nonne proprietas hæc [illegible]gulo externo cujuscunque [illegible]anguli inhæret, non secus ac auro [illegible]?

tis utamur. Hinc fit, ut quædam sint dissertationes, admodum perspicuæ & inter se apte cohærentes, in quibus tamen nihil omnino continetur. Palam enim est, nomina substantiarum, non minus, quam aliorum entium, quatenus significationes relativas habent, posse in propositionibus negative & affirmative conjungi, prout relativis definitionibus respondent; & licet rerum ipsarum naturam prorsus ignoremus, quæ tamen istiusmodi terminis constant propositiones de se invicem non minus inferri possunt, quam quæ perspicuas maxime &, ex rebus ipsis natas, veritates continent. Hoc modo, demonstrationes & non dubiæ veritatis propositiones in vocibus fieri possunt, quibus tamen ne quidem minimos profectus in ipsa veritatis & rerum cognitione facimus; exempli gratia, qui nomina hæc sequentia, una cum communi illorum & ad se invicem relata significatione, *substantiam* nempe, *hominem*, *animal*, *formam*, *animam vegetativam*, *sensitivam*, & *rationalem* didicit, varias potest propositiones haud dubiæ veritatis circa *animam* efficere, etsi, quid ea revera sit, prorsus ignoret; atque id genus innumeræ enunciationes, ratiocinationes & conclusiones in Metaphysicorum, Scholasticorum, & naturalium quorundam Philosophorum scriptis occurrunt, quibus haud magis, quam prius, *Dei*, *spirituum*; aut *corporum* notitia instruimur.

§. X. Qui pro lubitu suo substantiarum nomina definiunt, & quemcunque volunt, sensum iis imponunt, quamdiu varias, quas iis affinxere, habitudines & relationes respiciunt, eas nullo negotio de se invicem demonstrare possunt. Quo in casu, utcunque res sibi invicem conveniant aut repugnent, satis est, ut illi notiones suas, &, quæ iis imposuere, nomina animadvertant: Hoc autem modo non illi scientiis magis, quam ii pecuniis semet locupletiores reddunt, qui sumtis quibusdam calculis adulterinis, unum, pro locorum positu, *libram*, alium *solidum*, atque alte-

alterum *denarium* vocant; atque hoc modo summam ingentem conficere possunt, etsi quid *libra* sit, quid *solidum*, quid *denarius* nescientes, sciant tantummodo unam in alias vicies, alterum in alio duodecies contineri; idem in vocabulis fieri potest, cum, prout ad se invicem referuntur, magis minusve lata significatio iis imponitur (47).

§. XI.

Tertio nugantur ii, qui vocabulis diverso modo utuntur.

ILlorum insuper insigniores ineptiæ gravius sunt accusandæ, qui tam longe absunt, ut etiam nobis rerum ipsarum naturam explicent, ut *vocabula vago* & ancipiti valde *sensu usurpent*; hoc magna pars scriptorum, præsertim iis in quæstionibus faciunt, quæ in controversiam adducuntur. Hinc est, quod voces non recte a se invicem inferantur, nec sermones perspicui sint, atque apte inter se cohæreant, contrarium vero fieri facillime posset, nisi e re sua putarent ignorantiam & pervicaciam suam terminorum obscuritate involvere; quod in plurimis fortasse magna ex parte ex incogitantia nascitur & prava consuetudine.

§. XII.

(47) *V. Medit. nostr. in Lock. tom.* III.

§. XII.

Notæ verbalium propositionum; primo, prædicatio in abstractis.

UT omnia concludam, *propositiones pure verbales* per *notas* sequentes cognoscuntur. *Primo*, Propositiones omnes, in quibus termini duo abstracti de se invicem affirmantur, non nisi ad sonorum significationem pertinent. Quandoquidem enim *idea* abstracta cum seipsa tantum & non cum ulla alia eadem esse potest, cum nomen istius abstractum de alio quodam termino affirmatur, non aliud quid denotatur, quam posse, aut debere eam nomine isto appellari; aut duo ista nomina *ideam* eandem signare: Verbi gratia, si quis diceret, *parsimoniam esse frugalitatem*, *gratitudinem esse justitiam*; hanc aut illam actionem esse aut non esse *temperantiam*: Utcunque hæ & similes propositiones primo intuitu dictu speciosæ videantur, at sensum illarum introspicientibus palam erit, nihil in iis præter terminorum significationem contineri.

§. XIII.

Secundo, cum pars definitionis de termino quodam prædicatur.

SEcundo, *Enunciationes omnes*, in quibus pars *Ideæ complexæ*, pro qua terminus quidam substituitur, *de termino isto prædicatur*, *sunt verbales tantum*, ut cum dicimus, *aurum esse metallum*, aut *ponderosum*, hoc modo propositiones omnes, in quibus termini universaliores, *genera* vocantur, de subordinatis *affirmantur*, sive minus universalibus, quos *species* dicimus, *aut individua*, sunt pure verbales.

Ad hasce duas regulas propositiones quando exigun-

guntur, quæ non in libris tantum, verum in sermone etiam quotidiano occurrunt, videbimus, plures ex iis, quam vulgo creduntur, circa vocabulorum tantum significationem versari, atque in iis nihil contineri, nisi quod eorum signorum usum respicit.

Hic mihi liceat, hanc, quæ nunquam fallet, regulam tradere: Ubicunque *ideam* distinctam, voci cuidam subjectam, haud contemplamur, atque aliquid, haud in idea contentum, non de ea affirmatur aut negatur, ibi cogitationes nostræ in sonis inanibus hærent, nec realem veritatem aut falsitatem assequuntur. Hoc, si diligenter esset animadversum, amputaret eas, in quas vulgo incidimus, litigiosas & longas disputationes; & ad fructuosam atque veram cognitionem viam compendiariam aperiret (48).

C A P. IX.

De Cognitione Existentiæ.

§. I.

Propositiones universales veritatis necessariæ haud existentiam spectant.

HActenus rerum essentias tantum tractavimus, quæ, quoniam nihil sunt, nisi *ideæ* abstractæ, & proinde in cogitationibus nostris ab existentia particulari sejunctæ, (in abstractione enim propria mentis operatio est, ideam sub ea tantum existentia

con-

---

(48) Exposcerem pariter, an quidquid affirmatur vel negatur de aliquo contineatur semper in idea complexa ipsius?

contemplari, quam habet in intellectu) existentiæ realis nobis nullam omnino cognitionem tradunt. Ubi obiter notandum est *propositiones universales*; quarum veritas aut falsita certo potest cognosci, ad *existentiam* haud spectare; atque insuper *particulares* omnes *affirmationes aut negationes*, quæ, si fierent universales, haud certæ essent, circa *existentiam* tantummodo esse; *idearum* quippe accidentalem tantum unionem referunt, aut sejunctionem in rebus existentibus, quæ in naturis suis abstractis, haud ullam necessariam unionem habent aut repugnantiam, quam nos cognoscere possemus.

§. II.

Existentiæ cognitio Triplex.

AT enunciationum naturam, atque varios modos prædicandi in alium locum rejicientes, ut fusius tractentur, pergamus nunc ad ejus, quam habemus, rerum existentiæ cognitionis investigationem. Dico igitur, nos *existentiæ nostræ* cognitionem per *Intuitionem*; *DEI existentiæ* per *Demonstrationem*, atque rerum aliarum per *Sensationem* adipisci.

§. III.

Existentiæ nostræ cognitio nostra intuitiva est.

QUod ad *nostram itaque* attinet *existentiam*, eam manifeste adeo percipimus, ut ad istam probandam, argumenta nec possint, nec quidem debeant, afferri. *Cogito*, *ratiocinor*, *voluptatem & dolorem persentio*, horum nihil mihi magis perspicuum est, quam mea existentia. Si de aliis rebus omnibus dubitem, dubitatio ista efficit, ut me existere extra dubium habeam. Si sciam enim, me *dolorem sen-*

sentire, aut *dubitare*, palam est, me existentiam meam non minus clare percipere, quam *dolorem* illum, aut cogitationem, quam *dubitationem* voco. Patet igitur ex experientia, *nos existentiæ nostræ intuitivam habere cognitionem*, atque internam, quæ nos fallere non potest, sensionem, quod nos simus aliquid. Quandocunque quippiam percipimus, ratiocinamur aut cogitamus, nosmet existere nobis conscii sumus; atque in hac re eam, qua non major esse potest, *certitudinem* assequimur (49).

C A P. X.

De Cognitione nostra DEI Existentiæ.

§. I.

Deum *esse certo cognoscere possumus*.

Etiamsi *Deus* notiones nullas, aut primævos sui ipsius characteres in animis nostris inscripserit; Sibimet tamen exinde testimonium perhibuit, quod eas, quibus præditi sumus, vires animorum atque ingenii facultates nobis largitus est: Quod sensu pollemus & ratione, atque ipsius indicia in nobismet circumferimus. Nec est, cur de ignorantia nostra in hac re queramur, cum ad cognitionem ipsius, quantum vitæ hujusce status & beatitudinis nostræ ratio postulat, perfacilem nobis aditum patefecerit. Etiamsi vero hæc veritas sit aliis omnibus, quas ratio tradit, manifestior; etiamsi (ni fallor) haud minus perspi-

---

(49) *V. adn. 94. tom. IV.*

cua est, quam certitudo Mathematica: Ad eam tamen cogitatio requiritur & attentio animi; atque necesse est, ut mens eam a parte aliqua deducat cognitionis nostræ intuitivæ, alioquin hæc non minus incerta, atque ignorata erit, quam aliæ enunciationes, quæ in se clare demonstrari possunt. Ut ostendamus igitur, *certo nos scire posse, Deum esse*, atque undenam certitudo ista nascatur, satis est, puto, ut nosmet ipsos tantum spectemus, atque non dubiam istam, quam habemus, propriam existentiæ nostræ cognitionem, contemplemur.

§. II.

Homini compertum est, se existere.

EXtra dubium est, *hominem clare percipere, se existere*; Si quis in dubium vocet, utrum existat, utrum ipsemet aliquid sit, necne, non cum eo magis sermocinari vellem, quam cum pure nihilo argumentarer, aut non-enti, ipsum aliquid esse, demonstratum irem. Si quis scepticus adeo est, ut se existere inficietur, fruatur usque beatitudine ista ingenti, quæ exinde nascitur, quod ipse nihil sit, dum fames, aut alius aliquis dolor contrarium docuerit. Existimo itaque hanc ut veritatem, de qua omnes homines interna conscientia convicti sunt, admitti posse, adeo, ut nulla ratione de ea dubitari possit, *quemlibet intelligere, se esse ens aliquod, quod actu existat*.

§. III.

§. III.

Scit etiam, ens a nihilo non produci, quare aliquid ab æterno esse.

HOmo insuper certitudine intuitiva scit, *pure nihilum ens aliquod reale haud magis producere, quam idem illud duobus angulis rectis æquale esse possit*. Si quis nescit, non-ens non posse æquale esse duobus angulis rectis, fieri non potest, ut *Euclidis* demonstrationem ullam cognoscat. Si compertum igitur est, esse ens aliquod reale, atque non-ens non posse ens reale producere, hinc evidentissime demonstratur, ens aliquod ab æterno extitisse. Quod ab æterno enim haud extitit, illud initium habuit; quod vero initium habuit, illud ab alio aliquo productum fuisse, necesse est (50).

§. IV.

Ens illud æternum omnium potentissimum esse, necesse est.

PRoxime eadem evidentia patet, quod suum esse & initium habuit ab alio, illud omnia, quæ habet, ab alio isto mutuari, & omnes, quibus præditus est, facultates ab eodem manare fonte, necesse est. Hinc efficitur, ab æterno hoc entitatis omnis principio & fonte potentiam omnem necessario oriri atque proficisci; proinde *ens hoc æternum omnium esse potentissimum*.

(50) V. adn. 72. 77. 78. 79. tom. 1.

§. V.

Et sapientissimum.

EXperimur insuper, nos *percipere*, & *intelligere*. Hinc longius provecti discimus etiam, in mundo ens esse intelligentia præditum.

Aut tempus erat, antequam ens erat intelligens, atque ibi intelligentia cœpit esse; aut *ens* etiam *intellectuale* ab *æterno* extitit. Si dixerit quis, tempus fuisse, quo ens omne; & quo ens illud æternum expers erat omnis intelligentiæ. Respondeo, tunc impossibile foret, ut ulla in quopiam intelligentia unquam existeret. Non minus enim repugnat, ut res, cognitionis prorsus expertes, atque cæco casu & sine ulla perceptione agentes, ens intellectuale producerent, quam ut triangulum sibimet tres angulos efficeret, duobus rectis majores. Atque sic eodem modo contrariatur Ideæ Materiæ, omnis sensus expertis, quod sibi ipsa sensum, perceptionem, & cognitionem producat, quo adversatur Ideæ Trianguli, quod sibi ipse angulos, duobus rectis majores, efficere possit.

§. VI.

Et proinde Deum.

HOc modo ex nostri contemplatione, & eorum, quæ in nobismet ipsi experimur, ratio manifestam hanc veritatem tandem colligit, *æternum esse, potentissimum, atque sapientissimum ens*; quod utrum quis *Deum* appellare velit, haud magni refert. Res ipsa patet, atque ab *Ideæ* hujus contemplatione, quæ enti huic æterno tribuenda sunt, attributa omnia facile sequentur. Si quis tamen stolida adeo pervicacia fuerit, ut soli homini mentem & sapientiam assigna-

ve-

verit, eamque fortuitam esse dixerit; & reliqua omnia, quæ in toto hoc universo conspiciuntur, casu & fortuito agere: animadvertat, velim, justam eam reprehensionem, quæ apud Ciceronem occurrit. Tull. lib. 2. de leg. *Quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se mentem & rationem putet inesse, in cælo mundoque non putet: aut ut ea, quæ vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet?*

Ex dictis patet, *Dei* magis perspicuam esse, quam rei cujusvis alterius existentiam, quam non sensibus immediate percipimus. Imo, puto, dicere fas est, certius nos cognoscere esse *Deum*, quam aliam quamvis rem extra nos. Quando dico, nos *cognoscere*, perinde intelligi velim, quasi dicerem, esse in nostris facultatibus talem cognitionem, quam non possumus non assequi, si eadem animadversione & diligentia utamur, qua in aliis rebus, quæ in disquisitionem vocantur, uti solemus.

§. VII.

Idea *nostra entis perfectissimi non unicum est argumentum, quo docetur, esse Deum.*

E*Ntis perfectissimi Idea*, quam quis animo effingere potest, *Dei existentia* quantum probetur, non hic disquiram. In ea enim, qua sumus, animorum varietate & cognitionum discrepantia apud nonnullos quædam argumenta, apud alios alia eidem veritati fidem melius conciliant. Puto tamen, eos veritatem hanc confirmandam, atque Atheis ora obturanda non satis recte & provide curare, qui rei tanti momenti non aliud, quam hoc, fundamentum substruunt: Qui ex ista *Dei idea*, quæ quorundam in animis est, (nonnullos enim patet ea nullo prorsus modo, plerosque modice admodum imbutos esse)

Deum existere, unice probare volunt; atque solo isto freti & subnixi argumento, alia ea nos aspernari jubent, tanquam infirma, aut fallacia, quæ a nostra existentia, & rebus omnibus creatis sumta clara adeo & manifesta sunt, ut cordato homini iis refragari impossibile sit. Puto enim, non aliam veritatem ea manifestiorem esse, Dei *nempe invisibilia, cujusmodi est ejus sempiterna potentia atque divinitas, ex mundi opificio, dum considerantur per opera, perspici*. Etiamsi enim, ut dixi, *Deum esse*, argumentis abunde satis evincitur ex nostra existentia tractis., quorum vim nemo declinare poterit, qui ad illud animum non minus attendet, quam ad aliam demonstrationem ex tot partibus conflatam: Attamen quoniam in veritate hac insigni religionis & virtutis momenta omnia sunt posita, nullus dubito, quin mihi lector sit daturus veniam, si argumenti hujus partes adhuc aliquas fusius paulo pertractavero.

§. VIII.

Aliquid ad æterno extitit.

NUlla manifestior est veritas, quam, *ab æterno aliquid* extitisse. In neminem incidi unquam ineptum adeo & absurdum, qui dixerit, tempus fuisse, rerum omnium plane inane. Nihil enim magis repugnat, quam ut pure nihilum, sive negatio & absentia entium omnium, quippiam reale unquam produceret.

Quoniam itaque aliquid ab *æterno* extitisse perspicuum est; Quale illud ens sit, proxime videamus.

§. IX.

§. IX.

Duo tantum sunt genera entium, nimirum cogitantium & non cogitantium.

IN hoc universo non nisi duo tantum entium genera cognoscimus.

Primo. Pure materialia, quæ sensu, perceptione, & cogitatione prorsus carent, cujusmodi sunt barbæ nostræ extrema, & unguium nostrarum ramenta (*). *Se-*

(*) Num quia in barbæ nostræ extremis, atque unguium nostrarum ramentis nullum concipimus inesse sensum, perceptionem, & cogitationem; hinc firmiter concludendum erit, entia hæc esse pure materialia? Numquid inferri non posset ex his principiis, ea corpora sensibus, perceptionibus & cogitationibus adeo particularibus pollere, ut eas concipere haud quaquam nobis datum sit, haud facilius quam v. g populorum in regionibus longe dissitis habitantium, quibuscum rem nullam habemus, cogitationes a nobis percipi nequeunt? Lockii principia, ejusque de materiæ natura documenta minime profecto congruunt cum idea entium pure materialium, & cogitatione carentium. Ipse enim materiam non considerat simpliciter, quæ solida extensio est, sed qua res atque substantia permultis qualitaribus prædita, quæ semper supponenda sit aliquid esse præter extensionem, soliditatem, figuram, motum, aut alias apparentes ideas, etiamsi quid sit ignoretur, *l. 2. c. 23. §. 3. fin.* Hisce principiis quis tuto affirmare poterit entia existere cogitatione carentia? Quandoquidem si essentia v. g. lapidis, trabis, aut similium sit subjectum ab intelligentia nostra prorsus remotum, & a nobis ignoratum, in quo inhæreant, ac veluti substentaculo ab eo substineantur præter exteosionem & soliditatem permultæ aliæ qualitates, quæ in ipso existere possunt; quis inter hujus substantiæ incognitæ, at realis qualitates, sensum, perceptionem, & cogitarionem minime reperiri tuto affirmabit? Cum igitur ex Lockii doctrina nulla, non dicam, evidentia, sed ne probabilis quidem ratio appareat judicandi, entia pure materialia existere, adeo ut cogitatione prorsus expertia concipienda sint; fatendum erit solam corporis tanquam sub-

Secundo. Entia sensu & cogitatione prædita, cujusmodi nos ipsos esse deprehendimus; quæ in posterum entia *cogitantia* & *non cogitantia* vocabimus; ideo saltem, si non alia de causa, quod ad nostrum hoc institutum hæc vocabula magis accommodata sunt, quam *materialia* & *immaterialia*.

§. X.

Ens non-cogitans nequit ens cogitans producere.

ENs aliquod ab *æterno* extitisse, palam est, quærentibus, quale illud ens sit, facilis erit responsio, esse nempe necessario ens *cogitans*. Non magis enim repugnat, ut simplex materia cogitationis expers, ens mente & intelligentia præditum, quam ut pure nihilum materiam, ex se produceret. Supponamus portionem quamvis materiæ, grandis sit, sive exilis, ab æterno esse, videre erit, eam nihil per se producere posse. Verbi gratia; supponamus calculi materiam, in quem primum incidimus, esse æternam, partesque ejus arcte inter se junctas firmiter quiescere, si non aliud in universo ens esset, annon necesse foret, ut iners ita & sine omni motu æternum duraret (**)? Concipi nequit, quomodo motum

substantiæ extensæ, sive tanquam extensionis in longum, latum, & profundum expansæ ideam certissimum suppeditare argumentum distinguendi mentem a corpore, entia pure materialia ab entibus sensu, perceptione, & cogitatione præditis (*) THIELE.

(*) Hac super re videatur quod scripsimus adn. 13. t. 2.

(**) Hæc profecto adversantur iis, quæ l. 2. c. 23. §. 4. asseruit. Si enim nullam habemus ideam claram materiæ, longius abest, quam ut fateamur, & tuto affirmemus nullum in ea inesse motus principium ex se, & quiescentem illam, ut inertem, & sine omni motu æternum duraturam fore. Unde si

tum sibimet, aut alteri enti existentiam tribueret (*). Quoniam itaque materia nequit, suis viribus, semet movere, hinc efficitur, motum aut ab æterno esse, aut ab aliquo ente potentiori materiæ imprimis ac com-

firmiter certi sumus, ipsam neque motum sibi, neque alteri enti existentiam tribuere posse, idque evidenter concipimus; hæc evidentia eo nititur fundamento, nos ideam claram, quam de materia concipiunt omnes, habere; nimirum eam esse solidam, atque in partes divisibilem extensionem. Quid enim aliud in materia inesse supponi potest, præter id quod cum solidæ extensionis idea præcise congruit? Præterea, si Lockio quæramus, utrum subjectum agnoscat soliditatis atque extensionis calculi illius, quem motu omni ex se destitutum inertem prorsus & sine omni motu æternum duraturum asserit, negative respondebit; quia cum subjectum calculi sit ejusdem substantia, nullam habemus ideam claram neque in genere, neque in specie hujusce substantiæ. At reponendum erit: cum non agnoscas, Locki, calculi substantiam, quæ, ut ais, subjectum quoddam est occultum præter extensionem atque soliditatem, quam concipis; quanam Logices regula probabis, hocce subjectum sive substantiam omni activa se se movendi potentia destitutam esse (**) THIELE?

(**) Hac super re in meditatione nostra de Deo, disceptabimus.

(*) Detur nobis, ut breviter aliam contradictionem notemus: Asserit LOCKIUS in pura materia inesse quandam cohæsionis vim, per quam extensio efficiatur, l. 2. c. 23. §. 23. Hujus cohæsionis illum effectum esse ait, ut impediat, ne materiæ particulæ dissipentur, immo e contra, ut aliæ aliis exacte connectantur, & colligentur; quamvis qualitas hæc intrinseca & naturalis materiæ, atque vinculum nobis incognitum sit, sine quo materia nullo modo extensione prædita esse potest. Posita hac doctrina, numquid a ratione abesset, si supponeretur in materia quoque repulsionis vim inesse, sicuti in ea supponitur vis cohæsionis sive attractionis? Si ex una suppositione duæ materiæ particulæ eam proprietatem, atque vim intrinsecam habent, ut cohæreant atque invicem se se attrahant; quid obstat, quominus ex altera suppositione eandem vim habeant se se invicem repellendi? Principium igitur naturale motus in materia inesse posse, absque contradictione negare nequit LOCKIUS THIELE.

communicari (*). At si demus, motum etiam esse æternum; ex *materia* tamen *non-cogitante* & motu, utcunque molem & figuras rerum immutent, haud *cogitatio nasci potest*: Cognitionis enim productio non minus materiæ & motus, quam materiæ productio, *nihili* vires superat (**). Ad propriam cujuslibet hic provoco conscientiam, annon verum sit, quod eadem facilitate sibi imaginari possit, quomodo materia a mero nihilo sit producta, qua sibi concipit, cogitationem a simplici materia productam fuisse, tempore quodam, quo nulla res cogitans fuerit, aut ullum ens intelligens, quod actu exstiterit. Dividat quis materiam in partes quam minutissimas, (id quod tanquam medium habere solemus, ex materia rem spi-

(*) Motus in materia sive substantia solida ab exteriore agente excitatur, neque est ullo modo ejusdem actio, sed passio simplex; adeo ut corpus quiescens, iners ita & sine omni motu æternum duraturum esset, nec consequenter in aliud corpus motum unquam ullum esset excitaturum THIELE.

(**) Dum Cartesianorum ratiocinationibus suas hic nititur Lockius immiscere, ut probet, quod posito etiam motu in materia æterno, ex eadem tamen non cogitante, & motu oriri nequit cogitatio; contra doctrinam suam confirmat nos ideam claram habere substantiæ materiæ, quam particulis solidis mole quadam constantibus, atque figura quadam præditis componi fatetur. Hæ particulæ inter se se non nisi per motum agere possunt, & motus in illis tum molem, tum figuram immutare potest; at se se invicem impellant, se collidant, se dividant se connectant, sibi obsistant, & quantumlibet agant, nunquam valent ut producant cogitationem. Atque hujusce rei veritas tantam præ se fert evidentiam, quanta pollet alterum illud principium, *Nihil* nimirum haud unquam posse materiæ existentiam dare. Lockius proinde non dubitat ad propriam cujuslibet provocare conscientiam. Quocirca fatendum est nihil aliud in materia inesse, quam quod in ea clare atque distincte concipimus. Atque hoc absolute necessarium est, ut inde conclusio pari modo a Lockio deducta inferatur; nempe quod si nil ab æterno extitisset, quam materia & motus, cœpisset nunquam existere cogitatio THIELE.

ſpiritualem, aut cogitantem efficiendi;) immutet, quantum voluerit, figuram & motum illius; in eo caſu globus, conus, priſma, Cylindrus, &c. quorum diametri non niſi 10000000ma pars ſunt quantitatis, quæ vocatur Gry, *Gry eſt* $\frac{1}{10}$ *lineæ* $\frac{1}{10}$ *digiti, digitus* $\frac{1}{10}$ *pedis philoſophici, pes philoſophicus eſt* 1. 3. *penduli cujus diadromota; in latitudine graduum* 45. *ſingula ſunt æqualia ſexageſimæ parti minuti. Decimalem hanc menſuram ex induſtria hic uſurpavi; quoniam perutile, puto, foret, ut in literaria republica homines eam in communem menſuram adhiberent. Hæc obſervatio eſt ipſius Lockii*) (*), in corpora conſimilia haud ſecus agent, quam illa ſolent, quorum diametri digiti aut pedis menſuram continent: nec quidem ſenſus, cogitatio, & intellectio ex craſſioribus materiæ particulis certa quadam figura & motu præditis, difficilius, quam ex iis naſcuntur, quæ omnium ubivis exiſtentium ſubtiliſſimæ ſunt. Hæ non minus quam craſſiores impellunt, & ſibi invicem obſiſtunt, nihil autem ulterius poſſunt. Quare ſi ſtatuamus, nihil primum, aut ab æterno extitiſſe, materia haud incipere eſſe potuit: Si ſtatuamus, nudam materiam, abſque motu, fuiſſe æternam, motus haud cœpiſſet unquam: nec quidem cogitatio, ſi demus materiam & motum ante eam, aut ab æterno extitiſſe. Concipi enim nequit, quomodo materia, ſive motu prædita ſit, ſive expers iſtius primitus, & ex ſe, ſenſum, perceptionem, & intellectionem in ſe haberet, quod hinc patet, quod in eo caſu ſenſus, perceptio, & intellectio attributa eſsent a ma-

(*) Verbum Gry eſt hujus naturæ. Lockius adinvenit ad $\frac{1}{10}$ lin. exprimendam, menſuram quæ hactenus nomen non obtinuit, & commode poteſt ſignari tam hoc quam alio verbo. Coste.

materia, & omni istius particula inseparabilia. Addi etiam potest, materiam universam, etiamsi, quem habemus, istius conceptus generalis aut specialis efficit, ut de ea loquamur tanquam re numero una, non tamen revera rem unam & individuam esse, quæ tanquam ens materiale existat, aut tanquam singulare corpus, quod cognosceremus aut nobis concipere possemus (*). Quare si materia æternum esset primum ens cogitans, non unum foret æternum infinitum ens cogitans, verum infinita multitudo æternorum entium cogitantium finitorum, haud ex se mutuo pendentium, in quibus vis & potestas terminata (51), atque animorum variæ essent sententiæ, unde non ea, quæ cernitur in rebus universis, ordo, harmonia, & venustas orietur (**). Quandoquidem igi-

(*) Haud concipi potest ratio, cur materiam universam spectandam esse neget tanquam rem unam, & ita proprie individuam, quale consideratur ens aliquod materiale aut singulare corpus, quod cognosceremus, aut nobis concipere possemus. Quandoquidem mundus universus, qui totam complectitur materiam, variis licet ac fere innumerabilibus partibus constituatur; nihilominus tanquam ens unum physicum atque individuum spectandus est, non secus ac animal aut arbor partes enim, quibus constat mundus, & quæ universam materiam constituunt, eandem inter se invicem relationem habent ac illæ partes, quibus equus aut quercus componitur. Quod si diceretur, de materia adhuc informi authorem loqui; contra ipsum quoque contendi posset eandem materiam per solam suarum partium cohæsionem non secus individuam, quam calculum aut quid aliud, spectandam esse THIELE.

(51) Eadem ratione anima nostra nequit esse materialis, nec cogitatio materiæ competit, ut non competit & ipsa perceptio. De hoc verba fecimus. V. *Meditat. in Locki*, *tom.* 3. & *Med. de anima brutorum tom.* 2.

(**) Illud certum manet, quod infinita fere entium cogitantium multitudo futura esset, si cogitatio materiæ, quatenus materia est, conveniret; nulla siquidem inveniretur materiæ portio, quæ cogitatione destituta esset; atque mundus haud solum

igitur, quod primum *ens* æternum est, illud cogitans esse: Et quod omnium primum est, illud omnes, quæ postea existere possunt, perfectiones in se continere, necesse est; nec, quas actu aut modo eminentiori in se non habet, alteri impertire potest; hinc necessario efficitur, primum ens æternum non esse materiam (*).

§. XI.

---

lum unicum cogitans ens constitueretur, sed infinita entium cogitantium congerie constaret, ut Auctor animadvertit. Ex hoc quoque probatur, hominem quoad universam suimet ipsius essentiam minime esse posse materialem; siquidem secus ex eadem ratione sequereretur ipsum haud esse unum cogitatione præditum ens, sed infinita fere entium cogitantium congerie coagmentari.

(*) Si non Lockii solum, verum omnium Philosophorum ea vera sententia est, ens quodpiam haud posse alteri impertire perfectiones, quas actu aut eminentiori modo non possidet; necessario sequitur objecta pure materialia esse non posse, nisi causas simpliciter occasionales sensationum, quibus afficimur, dum objecta ipsa in sensuum nostrorum organa motum quemdam excitant. Revera si objecta pure materialia non essent simplices occasiones, sed causæ efficientes idearum, & sensationum; sequereretur, quod materia atque motus in se sive actualiter, sive eminentiori modo continerent omnem idearum & sensationum perfectionem, quod absurdum est. Neque ullius quidem momenti est quidquid ab aliquo dici posset; objecta nimirum materialia ideas producere per potentiam a Deo in ipsa collatam: si quidem Deus, dum hanc potentiam contulisset, conferre quoque debuisset quicquid huic potentiæ essentiale est. Essentiale est potentiæ causæ proprie efficientis, non vero occasionalis, ut perfectionem omnem, quam sive actualiter, sive eminentiori modo alteri impertire potest, in se contineat: neque Deus in materiam potuisset conferre veram potentiam producendi ideas, nisi ipsi perfectionem, idearum perfectioni parem communicasset. At tunc objecta tali perfectione prædita dicine possent pure materialia? Hinc per hoc etiam atque etiam confirmatur contra ipsum Lockium in materia nil aliud essentiale concipi posse quam solidam extensionem; quandoquidem facultates sive potentiæ quælibet, quas in ipsa extare conciperemus, & quarum nullam habituri essemus ideam, materiæ naturæ prorsus repugnant.

§. XI.

Ergo ens cogitans ab æterno extitit.

QUare si perspicuum est, *ens aliquod* necessario *ab eterno extitisse*, haud minus liquet, *ens* illud necessario esse *ens cogitans*: non minus enim repugnat, ut ex materia non cogitante ens cogitans, quam ut ex nihilo, aut entis omnis negatione, ens positivum, aut materia nasceretur.

§. XII. Etiamsi *Mentis æternæ necessariam existentiam* hoc modo investigantes, ad *Dei* agnitionem necessario ducamur, quoniam hinc sequitur, alia omnia entia intellectualia, quæ cœpere existere, pendent ab eo, nec alias, quam quas ipse iis largitus est, vires, aut facultates habere; quare si præstantiora ista, ignobiliora entia omnia, & quotquot inanimata sunt, ortum ab eo habuere, unde *Omniscentia*, *Omnipotentia*, *Providentia*, atque reliqua Dei attributa colliguntur: ut vero hoc magis reddatur perspicuum, quæ in contrariam partem afferri possunt, paucis videbimus.

§. XIII.

Utrum materiale sit, nec ne.

PRimo, fortasse dicent, etiamsi luce clarius sit, *ens* aliquod ab æterno extitisse, atque ens illud etiam intellectu necessario præditum esse: hinc tamen non efficitur, id non esse materiale. Quid si demus illud; haud minus tamen sequitur, esse *Deum*. Si enim ens est *æternum*, omniscium, omnipotens, consequens est, esse *Deum*, sive ens illud materiale esse, concipiatur, nec ne. At quod opinioni isti periculum & dolus subsit, hinc, puto, nascitur: cum vim demonstrationis, qua docetur, ens esse æternum, men-

mente præditum, declinare nequeant, qui materiæ sunt addicti, sibi libenter concedi volunt, ens hoc intelligens esse materiale; tunc argumentum illud, quo æternum ens intellectuale existere demonstratur, ex animis, aut sermone effluere sinentes, nihil nisi materiale quid statuunt, Deum, hoc est, ens æternum cogitans inficiantur: hoc pacto, quam constituere volunt, hypothesin suam convellunt. Si illorum enim opinio est, materiam esse æternam, ab ente cogitante æterno, materiam a cogitatione plane sejungunt, nec alteram supponunt cum altera necessario esse conjunctam; unde docent; spiritum, non vero materiam necessarium ab æterno esse; prius enim ostensum est, dari ens æternum cogitans. Si igitur materia & cogitatio sejungi possunt, *Materiæ existentia æterna, ab entis cogitantis æterna existentia haud sequetur*, id quod frustra supponunt.

§. XIV.

Non est materiale; primo, quia omnis materiæ particula non cogitans est.

Videamus vero nunc, quomodo semetipsos aut alios possint certos facere, *æternum hoc ens cogitans esse materiale*. Primo, rogo, utrum putant, *omnem materiæ particulam cogitare*? illud, arbitror, vix dicent; quoniam tot tunc eterna essent entia cogitantia, quot materiæ sunt particulæ, & proinde Deorum numerus infinitus. Attamen si non dabunt, materiam, quatenus materiam, hoc est, omnem materiæ particulam tam cogitantem esse, quam extensam, videbunt ens cogitans ex particulis non cogitantibus haud difficilius colligi, quam ens exten-

ſum ex partibus non extenſis, ſi modo ita lóqui liceat (*).

§. XV.

Secundo, una materiæ particula ſola non poteſt eſſe cogitans.

SEcundo. Si non materia omnis, quæro proxime, utrum *una tantummodo atomus*, cogitat? Hinc haud pauciora ſequentur abſurda, quam ex eo, quod prius dictum eſt; tunc enim aut unica hæc atomus æterna erit, aut non erit. Si hæc ſola ſit æterna, tunc per vim cogitationis aut voluntatis ſuæ, reliquam materiam omnem ſola creavit. Hinc diſcimus, materiam per cogitationem creari, quod inficiantur ii, qui præter materiam nihil eſſe contendunt. Si dabunt enim, ſimplicem unam atomum cogitantem aliam omnem materiam produxiſſe, diſcrimen illud atque virtutis præſtantiam naſci ex cogitatione concedant, neceſſe eſt. Fac vero, id alio aliquo modo fieri, quod concipi quidem nequit; per creationem eſſe neceſſe eſt, atque ita actum erit de illorum inſigni iſto axiomate, *Ex nihilo nihil fit*. Si dicant, aliam omnem materiam non minus æternam eſſe, quam eſt cogitans iſta atomus, maxime abſonum atque

(*) Hoc ſimiliter principium contradictionem involvit. Impoſſibile enim ait concipere poſſe ens extenſum ex partibus non extenſis colligi; quod aperte contrariatur iis, quæ l. 2. c. 23. aſſeruit. Ibi enim ait extenſionem ex cohæſione partium ſolidarum materiæ oriri, adeo ut extenſio earumdem partium cohæſionis veluti effectus conſideranda ſit. Quocirca ſi conſideremus particulas materiæ, antequam cohæreant, concipimus eas eſſe ſolidas extenſione carentes, quæ per mutuam cohæſionem extenſionem pariunt. Lockius igitur tunc clare percipiebat, Ens extenſum partibus non extenſis colligi. quod hoc loco oppugnat veluti impoſſibile, atque a ratione prorſus alienum. THIELE.

atque absurdum hoc dictum erit : Rationi enim quid minus consentaneum est, quam hypothesis ista, quæ materiam omnem æternam esse, statuit, unam tamen particulam reliquis omnibus intellectu & virtute infinite antecellere? Materiæ particula omnis, qua talis, alterius cujusvis motus & figuras easdem omnes pariter recipere potest, quid vero ulterius alteri præ altera quis, vel cogitatione affingere possit, haud video (*).

§. XVI.

Tertio, materiæ non-cogitantis systema nequit esse cogitans.

TErtio. Si non una aliqua materiæ particula sola, neque materia omnis, qua talis, hoc est, materiæ porticula unaquæque, *æternum hoc ens cogitans* esse potest, sequitur *systema aliquod materiæ* apte coagmentatum, illud esse. In hanc, puto, notionem incidere ii facillime possunt, qui, eam sequentes, quam de semetipsis atque aliis, quos putant esse entia materialia cogitantia, mente comprehenderunt opinionem, Deum ens materiale esse, contendunt. Hæc autem opinio, etsi magis naturalis est & vulgari intelligentiæ propior, non minus tamen absurda est, quam altera. Qui putant enim, æternum illud ens cogitans nihil esse, nisi materiæ particularum congeriem, quarum singulæ sunt non cogitantes, entis istius æterni sapientiam omnem, partium tantummo-

 do

(*) Persequitur Lockius semper supponens materiam, qua materia est, motum & figuram tantum recipere posse : neque enim idoneum invenisset principium, quod alibi asserere haud veritus est, nimirum incognitam esse naturam materiæ, ut probaret, quod sibi proposuit, Deum non esse materialem. Thiele.

do conjunctioni acceptam referunt ; quo nihil absurdius esse potest . Materiæ enim particulis, cogitationis expertibus , utcunque inter se jungantur , nihil in eo casu superadditur, præter situs novam relationem , exinde autem in iis cogitationem aut intellectionem nasci impossibile est (*).

§. XVII.

Sive in motu illud sit, sive quiete.

PRæterea , aut *systematis* hujus *corporis* partes omnes quiescunt , aut cogitatio ejus in certo quodam partium motu consistit . Si quiescit , tunc moles una est , atque ita secundum virtutem haud video, quomodo a singulari atomo discrepet (**).

Si ex motu partium intellectionem manare volunt, tunc cogitationes omnes fortuitas, accidentales, & terminatas esse, necesse est (***); cum enim parti-

---

(*) Certissimum itaque est , quod quocunque modo materiæ particulæ inter se jungantur , nihil illi superadditur præter novam situs relationem , ex quo impossibile est intellectionem sive cogitationem oriri. THIELE.

(**) Quiescens materia , veluti moles iners , atque virtute omni expers consideranda est ; unde sequitur virtutem ejusdem omnem , seu vim activam in motu sitam esse . Hæc contradictionem involvunt cum iis quæ l. 2. c. 23. §. 23. asseruit : ubi vim quandam , atque actionem realem in materia admittit, quæ a motu minime pendeat : & cohæsionis vis , quam in materia intrinsece Lockius concipit , & per quam ejusdem particulæ invicem connectuntur atque colligantur , ipsum contra ipsum manifeste convincit , materiam haud unquam virtute omni expertem esse , licet quiescat , cum eam actione intrinsece præditam a motu minime dependente affirmare haud vereatur. THIELE.

(***) Haud parvi momenti hæc ratio est contra illorum sententiam, qui cogitationem in quodam spirituum animalium mo-

ticulæ omnes, quæ per motum pariunt cogitationem, singulæ ex se cogitationis sint expertes, nequeunt motus suos regere, multo minus per eam, quæ in toto est, cogitationem dirigi; cogitatio enim ista haud motus causa est (tunc enim prior eo & extrinsecum quid esset) verum consequitur eum, unde libertas, potentia electio, cogitatio & omnis ratione & prudentia conformata actio penitus tollentur (52). Ejusmodi itaque ens cogitans, secundum cognitionem, cæca & bruta materia nihilo præstantius & sapientius erit; haud video enim, qui præter fortuitam atomorum concursionem non alias rerum causas afferunt, quomodo ab iis discrepent, qui res volunt ex cogitatione nasci, quæ non alio, quam materiæ, temere & fortuito actæ, consilio regitur. Supervacaneum autem est alia, quæ huic hypothesi subsunt (utcunque illorum refertissima sit) absurda præter illud memoratum superius enumerare; sive enim cogitans hoc systema tota sit materia universi, aut pars istius, fieri non potest, ut una quævis particula aut suum ipsius, aut alterius cujusvis, aut materia uni-

---

ru constituunt. Si in quodam spirituum animalium atque fibrarum cerebri motu consisteret cogitatio, sequeretur cogitationem esse effectum causæ mechanicæ, neque ullam amplius in homine libertatem, rationem, prudentiam &c. reperiri; quia immo etiam ipsi sublata esset penitus electio eas, quas sibi ex voto proponeret, ideas contemplandi. Sanguis ipsemet nunc violentius, nunc remissius ad cerebrum cogitationes impelleret, prout agitaretur; atque efficeret, ut aliæ aliis ea rapiditate succederent, qua percurrunt animales spiritus, qui ab eo separantur. THIELE.

(52) Hoc nonnulli circa animæ nostræ spiritualitatem afferunt, & eo protendunt argumenta, quod dicere non dubitant, quin homo sit libertate expers. Si ille unam vult actionem pandere, & postea a sui corporis mechanismo perductus alteram pandit, nonne est dicendum, inquiunt, quod libertate careat? Hujus argumenti solutionem invenietis in meditatione nostra *de voluntate ac libertate hominis tom. 3.*, nec non in altera *de pulchritudine tom. 2.*

versa particulæ uniuscujusque motum sciret; atque ita cogitationes aut motus suos regeret, aut quidem ex motu isto manantem cogitationem quamvis haberet.

§. XVIII.

Materia haud menti æternæ coeterna est.

ALii, etiamsi dari ens æternum, cogitans, immateriale haud inficias eunt, materiam tamen æternam esse contendunt. Opinio hæc, etjamsi *numinis* ipsius existentiam non destruit, quoniam tamen primarium & insigne illud ejus opificium, rerum nempe creationem convellit, propius inspicienda est. Necesse est, inquiunt, ut *materia* sit æterna: unde hoc? quoniam, eam ex nihilo fieri, concipi nequit; at rogo, undenam est, quod seipsos haud æternos putent? Dicent, quoniam lapsis jam viginti aut quadraginta annis; existere cœpimus. Rogo autem, quidnam *illorum* tunc existere inceperit? Haud materia, unde constant: quod si sic, tunc non est æterna: at cœpit tunc in eam, quæ nunc cernitur, figuram & membrorum conformationem coagmentari; at figura & particularum congeries ista non ens illud cogitans efficit, quod ipsimet sunt; (nunc enim cum iis mihi res est, qui dari ens æternum, immateriale, cogitans, at materiam non cogitantem etiam æternam esse volunt;) ens itaque cogitans illud esse quando incepit? Si nunquam, tunc ab æterno extitere ea, qua nunc, cogitatione prædití; hoc quam absurdum sit, haud opus est, ostendam, donec quispiam ea fuerit amentia, ut illud affirmare ausus fuerit. Si dabunt itaque rem cogitantem fieri posse ex nihilo, (quod de omnibus dicendum est, non ab æterno existentibus) quidni etiam ens ma-

te-

teriale, per eandem potentiam, nisi forte, quia hoc oculis obversatur, illud vero non item? Etiamsi, qui diligenter rem expendent, dicent, non majorem vim requiri ad Materiæ, quam Spiritus creationem. Imó, fortasse, si a vulgaribus notionibus liberi, cogitationes nostras, quantum fieri potest, ad rerum ipsarum penitissimam contemplationem intenderemus, conciperemus aliquo modo, &, quasi per caliginem (*), cerneremus, quomodo materiam initio fieri, atque per Primi istius Entis æterni potentiam incipere posset (**): concipere autem magis foret arduum, quomodo

---

(*) A verbo ad verbum ex textu anglicano „ nous pourrions être capables de viser à quelque conception obscure „ & confuse de la maniere „ quo materia statim posset produci &c. *Ure might be able to aim at some dim and seeming conception hou Matter might at first be made*. Et ex eo quia non bene concipio verba *dim and seeming conception*, etsi imperfecto modo, ea hic locavi. Traductio aliquantulum libera, sed ab ipso Lockio non refutata quia sua cogitata exprimit. COSTE.

(**) Nova hæc hypothesis de materiæ creatione, quæ mysterium veluti arcanum a Lockio annuntiatur, a vulgaribus notionibus libera, & ad quam nonnisi per rerum penitissimam contemplationem pervenire possumus, Philosophorum excitavit curiositatem: unde ut lectoribus satisfaciamus, eam referemus gallice iisdem verbis, quibus ab Costa producitur, ac confutatur, nil de aliis quidem solliciti. „ Ici, M. LOCKE excite „ notre curiosité sans vouloir la satisfaire; bien de gens s'etant „ imaginès, qu' il m' avoit communiquè certe maniere d' elpliquer la creation de la matiere, me prierent peu de tems „ après que ma traduction eut vu le jour, de leur en faire „ part; mais je fus obligé de leur avouer, que M. LOCKE m' „ en avoit fait un secret à moi-meme. Enfin long-tems après „ sa mort M. le Chevalier Newton, a qui je parlai par hazard, „ de cet endroit du Livre de M. LOCKE, me decouvrit tout le „ mystere. Souriant il me dit d'abord, què c'etoit lui-meme, „ qui avoit imaginè cette maniere d' expliquer la creation de „ la matiere, que la pensee lui en etoit venue dans l'esprit „ un jour, qu'il vint a tomber sur cette question avec M.

„ Lo-

modo vis omnipotens existendi initium spiritui tribueret. Quoniam vero hoc notionibus repugnat, quibus hujus memoriæ Philosophia omnis fundatur, mihi nefas erit ab iis diffidere; aut, licet me id Grammatica ipsa admoneat, illud vocare in disquisitionem, quod receptæ communiter opinioni adversatur: Hoc præsertim in loco, ubi communis opinio nostra huic instituto satis inservit, atque extra dubium omne ostendit, nos, dato semel, quod una quavis *Substantia* ex nihilo producatur, eodem negotio

---

„ Locke, & un Seigneur Anglois, *le feu Conte de Pembrocke*: „ & voici comment il leur expliqua sa pensee: on pourroit, „ dit il, se former en quelque maniere un' idee de la creation „ de la matiere, en supposant, que Dieu eut empeche par sa „ puissance, que rien ne put entrer dans une certaine portion „ de l'espace pur, qui de sa nature est penetrable, eternel, „ necessaire, infinis; car dès là, cette portion d'espace auroit „ l'impenetrabilité, l'une des qualites essentielles à la matiere, „ & come l'espace pur est absolument uniforme, on n'a que „ à supposer, que Dieu auroit communiqué cette espece d'impenetrabilité à une autre pareille portion de l'espace, & ce. „ la nous donneroit en qualque sorte, une idee de la mobilité „ de la matiere, autre qualité, qui lui est aussi tres-essentielle. Nous voila maintenant delivres de l'embarras de chercher ce que M. Locke avoit trouvé bon de cacher a ses Lecteurs; car c'est-là tout ce qui lui a donné occasion de nous „ dire, que si nous voulions donner l'effort à notre esprit, nous „ pourrions concevoir, quoique d'une maniere imparfaite, „ comment la matiere pourroit d'abord avoir été produire &c. „ Pour moi, s'il m'est permis de dire librement ma pensee, „ je ne vois pas, comment ces deux suppositions peuvent contribuer à nous faire concevoir la creation de la matiere. A „ mon sens elles n'y contribuent non plus, qu'un pont contribue à rendre l'eau, qui coule immediatement dessous, impenetrable à un boulet de canon, qui venant à tomber perpendiculairement d'une hauteur de vingt, ou trente toise „ sur ce pont, y est arrete, sans pouvoir passer à travers pour „ entrer dans l'eau, qui coule directement dessous. Car dans „ ce cas-là, l'eau reste. Thiele.


tio colligere posse, res omnes, præter *creatorem* ipsum, ita posse creari.

§. XIX. Dices vero, annon absurdum est, ut daremus, *aliquid ex nihilo fieri posse*, cum illud concipere nequeamus? Minime gentium: *Primo*, quoniam haud consentaneum est, Entis infiniti potentiam in dubium propterea vocare, quod operationes ejus comprehendere nequeamus. Non alias res fieri idcirco negamus, quoniam modum, quo producuntur, concipere non possumus. Haud nos concipimus, quomodo quippiam, præter corporis impulsum, corpus loco movere possit; non ea tamen ratio est, cur illud fieri posse negaremus, contra quam in nobismet ipsis experimur, in motibus nempe omnibus voluntariis, qui ex libera agitatione & cogitatione mentis tantum oriuntur, non ex cæcæ materiæ impulsu, in corpora nostra, tunc enim ex nostro arbitrio neutiquam penderent. Exempli gratia: Dum sinistra mea quiescit, dextra literas in charta pingit: Undenam motus hic in altera manu, in altera quies? E voluntate scilicet, aut cognitione animi; immutata cogitatione ista, sinistra statim movebitur, dextra quiescet. Hoc de facto verum esse, perspicuum est: Explicetur ita, ut intelligi possit, tunc, creatio quomodo perficiatur, proxime intelligemus. Qui enim motum voluntarium explanant, novam determinationem motui spirituum animalium tribuendo, rem istam nihilo explicatiorem reddunt. Haud facilius quippe est, in hoc casu, motus determinationem immutare, quam motum ipsum producere: novam spirituum animalium determinationem istam, aut immediate per cogitationem, aut per aliud corpus, quod cogitatio objicit, fieri, & proinde motum illorum cogitationi acceptum referri, necesse est; neutro autem modo motus voluntarius nobis notior redditur, quam prius erat. Interim nos nostri immo-

modici sumus æstimatores, qui sensus modulo omnia metientes illud fieri posse negamus, cujus modum, quo fiat, ipsi non concipimus. Hoc plane est aut Deo potentiam finitam, aut nobismet ipsis intellectum infinitum tribuere. Si nescimus, quomodo ea fiant, quæ intus in nobis intra finitæ mentis nostræ cancellos agitantur & contingunt, haud mirum videri debet, si mentis æternæ, infiniti & omnipotentis Dei, qui fecit & gubernat omnia, *quemque cœli cœlorum continere nequeunt*, operationes ignoremus.



ME-



MEDITATIO

JOHANNIS LEONARDI MARUGJ

De Dei existentia.

QUocunque tempore Dei existentiam, ac ipsius naturam cogitavi in eo semper voto fui, hanc quæstionem silentio transire; cum enim sit *Ens* Deus per se incomprensibile, alioquin Deus non esset (*a*), ad ejus quodammodam cognitionem, etsi mens no-

(a) Quod majorem tribuit difficultatem de Deo loquendi, illud porro est, inquit S. *Clemens Alexandrinus* „ quod est „ Deus omnium rerum principium, & quid principium sit haud „ facile invenitur. Quomodo exprimi potest qui non est nec „ genus, nec differentia, nec species, nec individuum, nec „ numerus, nec accidens, nec subjectum? Nec aliquid conveniens „ dicitur, illum OMNE vocando; omne enim in *magnitudinis* „ ordine extat, & *omnis* pater Deus est: nec dici debet, par- „ tes habere; quoniam enim unitas indivisibilis tenetur: est „ ille infinitum, non quatenus nequeat ultra infinitum excogi- „ tari, sed quatenus terminis ac distantia careat. Absque „ nomine & figura quoque est; si nomine illum appellamus non „ proprie id efficimus: vel *unum*, *bonum*, *spiritus*, *Ens*, *Pa-* „ *ter*, *Deus*, *Creator*, vel *Dominus* dicatur. Nullum ei nomen „ potest proprie convenire, sed melioribus nominibus deficienti- „ bus, his pulcherrimis utimur, ut nostram figamus cogitatio- „ nem, ne hæc circa objecta cetera fluctuet. Internoscuntur res vel „ per quod in se sunt, vel per dependentiam quam tenent inter „ se; ast Deo ex his nihil potest convenire. Nec etiam locus „ est, eum comprehendendi per demonstrativam scientiam; est „ enim illa rebus præcedentibus innixa, atque notionibus præ- „ cognitis posita, & nihil *Eterno* præcedit, quam ob rem, ut „ hunc incognitum Deum internoscamus, non remanet nobis, „ quam ejus verbum, & gratia, “ (*V. stromat. lib. 5.*).

nostra extorqueatur, nunquam pervenire nos posse, putavi: quam ob rem eum colere potius, quam de ejus existentia ac natura disceptare mihi semper in animo figi. Accedit quod iste Deus ubique diffusus, & in suis operibus permagne fulgens, impudenter, si non sit anticyra opus, abnegari nequit: Astra enim, quæ prospicimus, commoda quibus utimur, lux qua fruimur, spiritus quem ducimus claris, certisque notis unanimiter enunciant, repetuntque, *esse Deum* (*b*). Ecquis est tam stultus Hercule qui dum sole, suisque influxibus gaudet, audeat ejus existentiam negare, & radiorum benignitatem respuere? Si unquam fuere, qui cecutientes, omnique sensu capti, suam quoque existentiam renuentes, sophismatibus innixi, erroribus imbuti, inique, impieque dixere, *nullam esse substantiam*, *nullumque ens*

(b) Sic Cicero. *Deum etsi non videmus, tamen ex operibus cognoscimus* (*V. in Tuscul. quæst. lib.* 1.) & alibi. *Quid ... potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis. quo hæc regantur*? (*V. de Natur. Deor.* 1. 2. *cap.* 11.). Et Aristoteles. *Mortales oculis non capiunt Dei conspectum, ex operibus tamen cognoscitur*. (*V. de Mundo cap. VI.*). Auscultamus Senecam. *Si quis in domum aliquam venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non poterit ea sine caussa fieri judicare; multo magis in tanto ornatu mundi, tanta varietate, pulchritudineque rerum cælestium, tanta vi maris, atque terrarum, ac tantarum rerum ordinibus statuat necesse est, ab aliqua mente hæc proficisci, & hæc Deorum immortalium domicilium esse*. (*V. Libr. de Nat. Deor.*) Nemo ex vestris erubescat Patres adhuc, Catholicos, ac Scripturas audire. *Celi enarrant gloriam Dei* (*V. Psalm.* 18.). *Interroga jumenta, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod hæc omnia manus Domini fecerit*? (*V. Job.* 12.). Et Apostolus Paulus sic inquit. *Invisibilia Dei a creatura Mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur sempiterna ejus virtus, & dignitas*. Quæ verba secundum HMMONDUM (*Tom. II. Nov. fed.*) ita sunt intelligenda. *Quæ per se sub oculos non cadunt infinita Numinis potentia, ac divinitas, quæ semper a creatione oculos fugerunt: tamen in varia ejus administrutione, & totius Mundi gubernatione tanquam in speculo conspecta. jam manifesto cernuntur*. Et præclare Tertullianus; *habet*, inquit, *Deus testimonia totum hoc quod sumus, & in quo sumus*. (*V. lib.* 1. *contra Marcionem cap.* 1.).

ens per se subsistens, vel si esset re vera, *nos*, *res nostras non respicere* (c), eidem non solum nullam convictionem, ipsa reclamante natura, ac quodam ineffabili modo loquente (d), sibimetipsis obtinuerunt, verumetiam continuo Deum metuentes, trepitationibus suis continuo *Deum*, *esse demonstrarunt* (e). His de causis igitur in medium de Deo quæstionem afferre, idem censeo, ac de propria existentia disceptare, si vero sint tam corde capti, qui Dei, ac Dei providentiam impie impudenterque negent, iisdem responsum reddere, illorum celebrositati favere, & umbris dare corpora credidi, quapropter sicco, ut ajunt, pede; hoc articulum esse progrediendum, semper huc usque existimavi. Sed cum postea sum recordatus, hæc mea in alumnorum manibus pervenire, & sub oculis argumenta de Deo hic a me posse efflagitari, ut ne expectationem ullius defraudem, hac super re decrevi, verba facere & meditationem conficere; quapropter more nostro perparum hic mediramur; & quo nobis est datum, Dei existentiam, ac suas proprietates internoscimus.

Ut hic imprimis suspicionem omnem deleamus, cum diximus *Deum per se esse incomprensibilem*, non intelligi velimus, quod nonnulli ad Dei existentiam infirmandam asserunt [*f*], nimirum, cum sit Deus ens infinitum, mens vero nostra finita, ne-

(c) Inferius has nefandas sententias enucleabimus.

(d) *Nam*, inquit Lactantius, *& cum juvant*, *& cum optant*, *& cum gratias agunt*, *non Jovem*, *aut Deos multos*, *sed Deum nominant*. *Adeo ipsa veritas cogente natura etiam ab invitis pectoribus erumpit*. (*V. Seg. 2. Inst.*) Præclarum est illud Romani Oratoris. *Omnium*, *inquit*, *animis notionem supremi Numinis natura impressit*; *& nulla gens tam immansueta*, *nec tam fera est*, *quæ non etiamsi ignoret*, *qualem habere Deum deceat*, *tamen habendum sciat*; *quia hoc ita perspicuum est*, *ut qui hoc neget*, *cum vix sanæ mentis existimem*; subdit postea, *nulla gens tam barbara est*, *nulla natio tam efferata*, *cui non insideat persuasio*, *Deum esse*. (*V. lib. 1. de nat. Deor.*). Ipsemet Pindarus sic ait. *Si Deum vir aliquis speras latere*, *faciens quicquam*, *fallitur* (*V. Olymp. lib. Sympos*).

(e) Hic scite Augustinus. *Nec ipsi sacrilegi*, *& detestandi Philosophi quidam*, *qui perversa*, *& falsa de Deo sentiunt*, *ausi sunt dicere*, *non est Deus*; *ideo dixit in corde suo*, *quia hoc nemo audet dicere*, *etiamsi ausus fuerit cogitare* [*V. in Psal.* 13.]. Videatur quoq. Horat. Od. 34. lib. 1.

[f] Ita Hobesius Leviath. *cap.* 3. *pag.* 12.

Digitized by Google

nequeat hæc infiniti ideam concipere, quam ob rem utpote incomprensibile, illius existentia non modo nequeat demonstrari, verum etiam nec quicquam de ea concipi. Argumentum hoc tam futile, ac vanum est, quod non mediocriter pertimesco, quin levitatis labem acquiram, si ad illud refutandum me toto asse applicem. Ecquis est enim inter philosophos, qui impugnare audeat, quod vocabula negativa absentiam idearum positivarum explicent? Dum dico *infinitam* sapientiam, *infinitam* potentiam, *infinitam* perfectionem, *infinitam* pulchritudinem, & sic de singulis Dei perfectionibus, non intelligo hic vocabulum, cui nulla respondeat notio, proferre, sed tantum easdem perfectiones positivo modo conceptas, & negativo modo limitatas. Falsum est igitur quod Hobesius asseruit; *quando dicimus aliquid esse infinitum non aliquid in re significamus, sed impotentiam in animo nostro, tanquam si diceremus, nescire nos, an & ubi terminetur* [g], cum luculentius hoc *quid* positum in re, revera concipimus, etsi brevitate mentis nostræ ulteriores ejus limites ignoremus. Hinc est, quod infinitum non realiter deficit, tantum captum nostrum excedit, qua ratione comprehendimus existentiam complexus perfectionum, sed peculiari modo habitam, adeo ut hæ perfectiones ope ullius ejusdem naturæ nequeant augeri: si enim eas actu augeri, considero, infinitatis naturam amitto [h], & me in tenebris invenio. Quid ergo est? Si in defini-

[g] *V. De Cive cap. 15. §. 14. & ib.*

[h] En difficultas in conceptu a S. Clemente Alexandrino [a] excogitata. Est Deus *principium rerum*; quatenus ad res non ad se ipsum. Quatenus ad res creatas, in tempore actum suum exeruit, quatenus ad se ipsum tempore caret. Non est *species*, *genus*, *differentia &c.* Cum non habeat sibi simile; non est *individuum*, nam individuum limitatum est: *Non numerus*, *non accidens*, *non subjectum*. Non numerus, nam in serie non est; non accidens quia omnia essentialiter in se sunt, & a sua propria natura pendent. Non subjectum, nam subjecti idea relativa est, nec per abstractionem quidem, ut scholastici ajunt, absque idea *conjuncti* concipi potest, & hoc conjuncti idea in Deo deficit. Ast per consequens quid per se existere, & omnibus perfectionibus præditum non posse concipi, recte refellitur. Quid repugnat, quod ideas positivas absque limite augeam, & cuidam Enti tribuam? Quid, quod cum rationem sufficientem sui in se habeat, absque principio sui existentiam concipiam? Fusius inferius.

nitione reali cupimus nos solertes esse, cum Deus ens sit infinitum, eam porro suppeditare nequimus, si postea definitionem nominalem habere satagimus, cum hæc ad rem ab omnibus aliis rebus distinguendam inserviat, possumus, quoties nobis placet, eam adducere, atque figere [*i*]. Hinc est quod *S. Clemens Alexandrinus*, cum dicat, difficultatem esse de Deo loquendi, difficultatem, immo impossibilitatem, eum realiter definire, exprimere credit, idcirco concludit, quid realiter Deus sit tantum verbo & gratia concipi potest. His præmissis ulterius progrediamur.

Quid pro vocabulo *Deo* intelligimus, vel intelligi debeat, imprimis est hic enodandum. Dum dico *Deum*, nihil aliud dicere puto, quam „ Ens absolute necessarium, quod sit ab Universo diversum, & hoc tanquam a causa sua ab illo dependeat. „ Cum hanc adduximus definitionem, non animo nostro est omnes reliquas reicere, immo cum nominales definitiones sint arbitrariæ [*k*], si placet, alio modo Deus potest adhuc definiri; Dic *ex. gr.*, si velis, *Spiritum perfectissimum*, *Ens independens*, *Ens infinitum*, semper idem potest in eo obtineri [*l*], & eadem idea excitatur. Vides ergo, quod quamprimum attributum minime creaturis conveniens enunciamus, Dei ideam sistimus, & ejus existentiam deducimus, si luculentius demonstretur, quoddam ens, attributo ipso gaudens in rerum natura realiter existere; verum ne in ideis fluctuemus, meditationem a definitione ipsa a nobis modo allàta incohamus.

Deus ergo est „ Ens absolute necessarium ab universo diversum, „ &

---

[i] Alibi diximus, definitionem dispesci in *realem & nominalem* (24. *tom. IV.*), realis definitio est *notio distincta*. Wolfius eam definit, *per illam quod exponit modum quo aliquid fieri potest* [*V. Log. lat.* §. 194.]. Nominalis postea per eam qua enumerantur notæ, sive attributa quæ ad rem definitam ab omnibus aliis rebus internoscendam inservit. In hac possumus modo unum, modo alterum attributum sumere, dummodo valeat hoc vel illud attributum ad rem indigitandam.

(k) Ex modo dictis apparet, quod cum ex nutu nostro pendeat pro nominali definitione hoc potius, quam illud attributum, vel notam sumere, recte dicitur hæc definitio arbitraria.

[l] Attributum *perfectissimi*, *independentis*, *infiniti* non competit, quam ipsi Deo, per consequens cum uno illorum Deus potest individuari. Wolfius Deum definit per *Ens a se in quo continetur ratio sufficiens existentiæ Mundi hujus aspectabilis & animarum nostrarum*.

„ & tanquam causa efficiens omnia producens „. Si igitur potest a nobis cum veritate erui, ac mente determinari, I. ens dari aliquod absolute necessario existens quod hunc Mundum libere creavit. II. Ens hoc a mundo ipso esse diversum: tum non esset, sane arbitror, qui non debeat fateri contra Atheorum sectas, *Deum existere*. Videmus ergo quo modo, expositas propositiones demonstrare, & ad evidentiam Deum ipsum percipere, nobis obtingat.

I. Aperimus oculos, & de veritate hac evincimur O quam entia in rerum natura existunt! Quam effectus diversissimi, ac phænomena adsunt! Quam ordines, proportiones, simetriam, constantiam successiones in eis observamus! Sunt Entia in rerum natura, quæ quadam activa vi prædita, agunt in alia, constanter, constantesque mutationes in aliorum statu producunt; sunt alia quæ per se, & sua natura inertia, vi alterius reagunt, & ope reactionis hujus sibi & aliis necessariam mutationem pariunt; Nonnulla denique alia quæ particulari vi insignita pro nutu suo, absque ulla necessitatis lege, variis dissimilibus modis, vim ipsam exerunt, & facultatem agendi sibi metipsis movent, determinantque. Primi generis corpora sunt, & quæ in Cœlis evolvuntur, ut Sol, Planetæ, Cometæ ipsæ, & omnia per quæ peculiari modo in terra effectus varios pandunt, ut magnes, fluidum luminosum primordiale, fluidum aereum, & fortasse centena alia nobis incognita. Secundi generis postea ea sunt quæ manu contrectamus, pede premimus, aure audimus, olfactu percipimus, gustu internoscimus. Tertii tandem, o Entia ante alia habita, & suo Creatori cariora! Homines sunt, spiritus, & fortasse ipsa bruta [m] enumerantur. Videtis modo vires, actiones, reactiones, quas corpora tam activa, quam non activa necessario edunt, omnes absolutas non esse, sed relativas, adeo ut certis limitibus, fixisque legibus, ac conditionibus operantur; luminosum fluidum primordiale, atque Ethereo-aereum observate: celeritates, pressiones, expansiones, cohæsiones, gravitates, non modo juxta quasdam leges perpetuo agere, videtis, verum etiam ex iis mixta & constructa actione perpetua secundum leges motuum esse perbelle constituta. Pulchrum est videre corpora se mutuo, agere: gravitatem hanc proportionalem quantitati materiæ esse: ad inæquales distantias juxta reciproca distantiarum quadrata se pandere; gravium corporum ascensum, & descensum per perpendicularem fieri: corpora volven-

(m) Si habent libertatem, inter entia libere agentia recte numerantur. *V. med. nostram de anima brut. tom. II.*

ventia circa unicum punctum per directionem curvæ tangentis se dirigere : & vires, quæ in revolutione acquiruntur, cæteris paribus, quantitari materiæ esse æquales, nec non vires ipsas, quæ centrales nuncupantur, ut quadrata arcuum, dato tempore, descriptorum per diametra ejusmodi circulorum divisa, semper, constanterque observare; Pulchrum est videre quod Maris aqua supra naturalem libellam bis se ferens, & toties alternarim se retrahens per viginti quatuor horas & tres quadrantes ripas inundare, easque iterum relinquere; velocitatem penduli in puncto infimo esse, ut subtensa arcus, quem in lapsu suo percurrit, & sonum augeri in ratione elasticitatis aeris auctæ: eum propagari, & spatium circa 1100 pedes parisienses in secundo minuto conficere (n). Pulchrum est videre, radium lucis verticaliter in quoddam medium incidens a sua directione non deflectere, & contra si oblique cadit, &, a rariori si ad densum medium transit, recedere a perpendiculo, & accedere ad perpendicularem si contrarium eveniat; Hinc tot modificationes, tot dispersiones, tot condensationes radiorum ipsorum eruere. Pulchrum est videre in Cœlo tot Astra locata, & ex his nonnulla varios gruppos efficientia, quæ constellationes appellantur (o), in viginti quatuor hor. ex ortu ad occasum se ferre, eandem semper distantiam inter se habentia cursum quotidie renovare, nonnulla in 24. hor. quovis cœli puncto comparationis gratia sumto, orientem versus se retro remanere, & ex his alia proprio lumine fulgere, mutuatq lumine alia splendescere: certas regulas in motibus observare, & omnia cum proportione & ordine necessario fieri. Pulchrum est, de-

(n) Est apud physicos statutum, sonum propagari successive: percurrere postea spatium 1185 pedum parisiensium in minuto secundo statuit Accademia Florentina: Scientiarum Accademia Parisiensis spatium in eodem tempore percursum esse voluit 1172. *Cassinus* calculavit spatium ipsum ad 1041: *Newtonus*, *Flamstedius*, *Halley* ad 1070., qui valent 1142 Angliæ. Nos ad quid medii attinemus.

(o) Astra fixa quæ dicuntur, vel nudo oculo, vel Telescopio visa a spectatoribus minima prospiciuntur, & propter luminis vivacitatem, quod astra ipsa emittunr, oculis confunditur, quam ob rem ab antiquis fuit constitutum hæc astra in tot stellarum cumulos distribuere, ac dispescere, omnes repræsentantes quamdam figuram, ut hominis, multi ris, animalium & *Signa*, *figuræ celestes*, *Constellationes* fuere nuncupati.

nique, tot plantarum diversitates, tot reptilium coacervationes, tot animalium consensus uno sub oculo videre. O magnum incomprensibile Opus, quis est, qui me hercule non exclamet? Hoc opus non debet interim suum Opificem habere?

Hæc tot diversæ corporum species inter se tam valde connexæ, & in hoc aspectabili mundo contentæ, quas oculis videmus, manibus contrectamus, gustu sapimus, olfactu percipimus, quidquid effrenati homines fuere immaginati, veritate certa internoscimus, omnes realem existentiam habere (p). Cum verum sit, quod hæc omnia quæ uno intuitu percipiuntur, vera existentia fulgeant, sequitur necesse, quod existentia hæc debeat repeti vel a semetipsis, vel ab aliis; non primum, nam non essent alioquin contingentia, ergo secundum; Plura absoluta, increata, independentia, necessaria ec. dari nequeunt, secus darentur duo vel plura entia inter se perfecte simillima, quod plane repugnat (*) ergo unum absolutum, independens, necessarium est ens quod hæc omnia creavit. Sed melius argumentum enucleamus.

Ponatur, omnia propriam existentiam in semetipsis internoscere. Hæc omnia erunt vel seorsum, vel collectim considerata, suorum ipso-

---

(p) *V. adn.* 93. *tom. IV.*

(*) Hoc demonstravit Leibnitius: & appellat *principium identitatis indiscernibilium* (*V. Epist. IV. ad Carckium* §. 4. *& seq.*, *Epist. V. ad eundem* §. 23. *& sequ.*) Bilfingerus, Hollmannus, Wolfius præclare Leibnitii mentem dilucidant. Complures tam veteres, quam recentiores philosophi hic, pro unitate ac existentia Dei, addi possent. Sed sunt notatu digna hæc verba Boetii „ sicut mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjunxisset: ita conjuncta ipsa naturarum diversitas invicem discors, dissociaretur, ac divelleretur, nisi esset unus, qui, quod novit contineret, nec tam dispositos motus locis efficiendos spatiis qualitatibus explicaret, nisi unus esset, qui per has mutationum varietates ipse disponeret „ (*V. lib.* III.). Pariter illa Maximi *Tyrii* Philosophi Ethnici, qui inquit „ in tanta pugna & discordia, & discrepantia unam videas per terras omnes legem, famamque consentientem, Deum esse unum rerum universarum & Regem, & Patrem, multos præterea Deos, & Dei filios administrationis participes. Hæc & dicit Græcus, dicit & barbarus, " *V. diss.* 1. *apud du Hamel Metaph. tract.* III.).

ipsorum causa, & origo: contineret itaque in semetipsis rationem sufficientem suæ existentiæ, quapropter antequam essent, existerent; ergo si sejunctim ea omnia consideramus, tot entia increata independentia necessaria, quot sunt res ipsæ, haberemus, quod rationi repugnat: si collectivo modo considerarentur, deberent haberi, vel ut causa simultanea & conjuncta, cum horum materia, vel ut effectus & modificationes ipsius materiæ qua conflatæ videntur. Primum esse nequit: tot alioquin, vicissitudines, alterationes, compositiones, decompositiones deessent porro, & semper, constanterque una sub forma & qualitatibus existerent: secundum impugnatur a certis fixisque rationibus. Cum sint enim ordine, simetria, proportione, dependentia, nexu inter se omnia ligata, & legibus peculiaribus, ac certis submissa, debet fateri, quod hæ leges, ordo, simetria &c., esse vel ratione sufficiente producta, vel non; si primum hæc ratio vel est intrinseca, vel extrinseca. Si intrinseca dicetur, erit Pantheismus, vel spinozismus, supponit enim hic mentem cogitantem, de quo disceptabimus: si extrinseca, ens in quo est hæc ratio sufficiens, est ipsemet Deus (q). Si dicitur denique, omnia absque ratione esse confecta, adeo ut hæc omnia fortuito exorta hunc universum condecorare, tum debet concedi, non a causa libera & ratione prædita hæc omnia emergere, sed necessaria, & coactata. Si hoc, ex quo debent repeti tot ingentes varietates, ac modificationes? Non a libertate causæ efficientis, nam ista deest, non a diversitate concursus materiæ, nam cum sit hæc materia homogenea æqualis, sibimetipsi similis, non debet producere effectus, quando adhuc vis generandi motu suo ei tribuitur, ut Epicurei credunt, & quod principio rationis sufficientis repugnet (r), quam sibi similes & æquales: per consequens non sumeret certo varias

I 2 di-

(q) Cum Apostolus in Areopago Deum prædicaret, loquenter dixit. Athenienses, cum per altaria vestra incedebam, inscriptionem *Deo incognito* respexi: hic Deus, quem vos non cognitum adoratis, est quem prædico. Pariter potest hic dici. Hoc incognitum a Mundo extrinsecum, & in quo ratio internoscitur, ipsius Mundi est Deus.

(r) Quidquid est vel fit, est vel fit ratione sufficiente. Modificationes habent itaque suam rationem sufficientem. At cum una sit materia, & eisdem attributis prædita, neque ab alia causa externa sit commota, cum deesset, semper deberet easdem modificationes habere.

directiones, & concursus absque variis viribus motum dirigentibus, & eum modificantibus, quæ debent extrinsecus considerari (s). Hæ vires variis & liberis directionibus præditis, supponunt necesse subjectum pariter liberum, ex quo emergunt, & cum hoc subjectum non debeat agnoscere rationem sufficientem suæ existentiæ quam in se, erit unum, absolutum, necessarium independens (t).

Credunt nonnulli allatum argumentum infirmare, in medium Aristotelis hypothesin de Mundi æternitate adducendo [u] quam

---

(s) Alioquin per antecedentem annotationem deberet materia non una homogenea, sibi metipsi æqualis considerari, sed diversa diversis modificationibus prædita, & erit ipsemet Universus qui causam sui creatricem necessario supponit.

(t) Pulchrum est quod scripsit Flaccus percommode hic venit apponere (*V. lib. 1. Od. 34.*).

Parcus Deorum cultor, & infrequens
Insanientis tum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare; atque iterare cursus
Cogor relictos, namque Deispiter
Igni corusco nubila dividens
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum:
Quo bruta tellus; & vaga flumina
Quo styx & invisi horrida. Tænari
Sedes . . .

Sic quoque Cicero, *populares Deos multos, & naturalem unum esse* & addit illud Sophoclis Poetæ

„ Unus profecto est, unus est tantum Deus
„ Cœli solisque machinam qui condidit
„ Vadumque ponti cærulum, & vim spiritus,
(*V. de nat. Deor. l. 1.*).

[u] Hic breviter potissima Aristotelis argumenta resumam. I. Materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis; est enim necessarium aliquod subjectum omni generationi præexistens, & omni corruptioni superstes, ergo materia prima debet esse eter-
na: materia nequit existere sine forma, formarum itaque pro-
creatio sempiterna est; ergo & motus, & Mundus est sempiter-
nus [*V. 1. lib. Phis. text. 82.*]. II. Si infinito quasi tempo-
re Deus quievisset, & aliquando postea fecisset Mundum, nulla
esset

quam ob rem non posse effectum primum, neque adeo primam
I 3 omnium

esset differentia, qua nunc potius, quam prius id effecisset, quare deficeret ordo, neque esset amplius naturæ opus. Quod secundum naturam fit semper & simpliciter ita fit. Ergo Deus non ab aliquo initio Mundum condidit. [*V. lib. 8. Phys. tex.* 15.). III. Idem manens, semper est idem facere natum. Deus idem est ac immutabilis & eodem modo permanens, semper ergo vel fecit semper Mundum, & faciet, vel contra. Non facere enim aliquando, quamdam varietatem in Opifice esse, signat (*V. lib. 8. tex.* 53.). IV. Cœlum est ingenerabile, atque incorruptibile; Quidquid gignitur, ex contrario, & subjecto gigni oportet; at corporum contrariorum contrarii sunt motus: motui circulari nullus motus potest esse porro contrarius; cœlum ergo contrario caret, ac proinde neque ortum, neque interitum haber (*V. 1. de Cœlo tex.* 20.). V. Cœlum, juxta omnes, locum, sedem, ac Deorum, domicilium est, ergo ut Dii est cœlum æternum (*V. ex eod. lib. tex.* 22.). VI. Mundi Opifex est ejusinodi, ut substantia sit ejus actus carens omni potentia. Si Deus non operarerur semper, aliquando actione vacaret, & esset Opifex interdum potentia, interdum actu, non esset itaque omnino potentiæ expers, per consequens ab Æterno condidit Mundum (*V.* 12. *lib. Met. tex* 30.). VII. Maximum proprium boni ac perfecti est movere orbes & quæ sub ipsis sunt, & bonitatem ac perfectionem suam aliis communicare. Ut ne ergo ociosæ ac imperfectæ intelligentiæ ab æternitate fuissent, Mundus debet ab æterno existare (*V. ex eod. lib.* 48.) VIII. Deus & natura semper faciunt ex possibilibus quod melius est. Melius est, Mundum semper esse, ac aliquando esse: Ergo Deus mundum ab æterno fecit (*V. lib. 8. Phys. tex.* 48 56.). Complura alia argumenta de Mundi æternitate apud Aristotelem inveniemus, sed allata potiora sunt: reliqua brevitatis gratia ommisimus.

Debet hic adnotari, quod Aristotelis non negat ideo Dei existentiam, confundit tantum operationis actum, cum existentia Operantis, quod permagne repugnat; immo credit Opificem necessario operantem in Mundo, vel in ejus creatione, quod est naturæ libertatis contrarium. Et cum ex hac confusione aliquid contra Mundi creationem, & contra sui opificis existentiam posset non incongrue argui, sic potioris argumenti repugnantiam ac absurdum breviter ostendere, necessarium esse, censeo,

omnium causam demonstrari [*x*], afferunt. Sed si adductam Hypothesin perpendimus, argumentum nostrum pariter invictissimum remanet. Quando adhuc hæc hypothesis admirratur, quod plane repugnat, immo impossibilis demonstratur, non recte ideo arguitur quod supra a contrariis fuit allatum; in serie enim causarum quæ *univocæ* dicuntur, pro legitimo debet id haberi, non vero in causis *equivocis* (*y*) in quibus in infinitum progredi non licet. Cum enim nullus sit primus homo qui alios genuerit [*z*] debet prima causa esse æquivoca, quæ revera Deus est. Causæ univocæ sibi invicem sunt subjectæ per accidens; & agunt posteriores a primis independenres; in serie causarum postea quæ dicuntur æquivocæ, posteriores habentur tanquam instrumenta non agentia nisi a prioribus mota. Corpora itaque cælestia, conformatio partium in plantis, animalibus, cæterisque, vel sunt a semetpsis, vel ab alia causa; non primum, ergo posterius: cum non sit hic locus progressui in infinitum; debet ex dictis hæc causa esse æquivoca; per consequens, etiamsi concedatur, Mundum ab æterno extare, quod acerrime impugnamus, sequitur, non esse confectum, quam a causa prima, quæ prima dici potest, quia æquivoca est, & a suprema intelligentia creatum (*) Hactenus argumenta quæ invictissima reputo pro prima nostra propositione, *Ens dari aliquod absolute necessario existens*: *quod omnia*

---

sco. Ad primum respondi potest, illud posse aliquo modo valere, si Mundum per modum physicum, & ex aliquo subjecto, ut Aristoteles credit, diceretur, esse productum: non quando ex nihilo per creationem confectum, ut existimemus. Aliquid de novo producere, neque materia; neque motus requiritur, tantum voluntatis actus ipsius creatoris, qui cum sit liberus, potest nunc non prius aliquid creare. Reliqua Aristotelis argumenta vel ex dictis, vel ex se ipso potest Lector profligare.

(x) In infinita serie nullum est primum, daretur alioquin progressus in infinitum.

(y) Pro Tyronibus addimus. Distinguitur a metaphysicis causa univoca a causa æquivoca: illa est, quando producit effectus ejusdem suæ essentiæ, ac speciei, ut Pater habita relatione ad filium. Ista quando producit effectum non ejusdem essentiæ; ut Deus, Scrinarius, Sutor habita ratione ad Mundum, ad mensam, ad calcem.

(*) *V. adn. 79. tom. 1.*

omnia libere creavit, nunc ad secundam deveniamus, nimirum *Hoc ens esse a mundo diversum*.

II. Quamquam ex dictis latius pateat, Deum extare, & esse hujus universi causam creatricem, adeoque a Mundo diversum ipsumque Deum debere deprehendi, verum cum insanum Spinozæ sistema multi sint amplexati; & hoc fortasse tempore non desint, vel saltem non sint penitus extincti qui sententiam hanc, *idem esse Deum ac universum* (aa), sequerentur, operæ pretium arbirror ad explicandam, ac refutandam eam, me hic diutius versari. Si perantiquorum acta percurrimus, error hic per antiquus adinvenitur, nam in ea fuere opinione *Eleatenses*, *Pythagorici*, *Stoici* (bb), ut & de nonnullis Mahumedanis, Indis, Sinensibus, Japponensibus refertur; ex omnibus vero qui commeI 4

(aa) Ob hanc causam Pantheistæ sunt appellati, ut legitur apud Ciceronem. V. l. 1. *de nat. Deor. num.* 10. *& sequ.*

(bb) Hac super re legi potest Buddeus (*de Ath. & superst. cap.* 1.). Item Seneca (*quæst. natur. lib.* 11. *cap.* 45.). Ad hoc reduci posse, credo; illud Virgilii Maronis, etsi misceat inter se Epicuri, Pythagoræ, ac Platonis sententiam, nec, ut admonet Antonius Ambrogius in sua versione (*lib. VI. Æneid. v.* 725.), sibi metipsi harum ullo sadisdet l. c.

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet,
Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.

Et alibi.

Esse apibus partem divinæ mentis & haustus
Ætherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenuem nascentem arcessere vitas.
(*Georg. lib. IV. v.* 220.).

Verum est; quod hæc si ad Platonis sententiam accedunt, diversum eruitur fortasse. Inquit enim hic auctor, juxta Marsil. Ficini interpretationem (*Tim. cap.* 14.), quod Deus postquam omnia confecit, animam infudit; quæ juxta se est fortasse a Deo

memorari debet (*cc*) est Benedictus Spinoza Judeus quidam (*dd*) qui impietatem hanc in Europa sistemate geometrico ostendere ante ceteros est valde conatus. Credit ille, unam esse substantiam, quæ duobus attributis, *extensione* ac *cogitatione* prædita, a se ab æterno, ac infinita existeret: idcirco animas & corpora substantias non esse ab hac substantia diversas & ab ea creatas, sed ejusdem unius substantiæ modos varios, ac determinationes: ex quo sequitur, divisionem, ac distinctionem materiæ esse immaginationis opus, cam enim semper & ubique eadem esse, nec divisionem, nec distinctionem pati, sed varias induere formas absque suæ simplicitatis læsione, & eas offendens nostra immaginatio, quæ in superficiebus hærens, facit, quod in materia partes, quæ revera non sunt, opinemur diversas (*ee*). Johannes Franciscus Buddeus argumenta hujus impii systematis re-

---

Deo diversa: fortasse dixi, nam non luculenter id patet cum illam *temperationem* appellat; sic quoque Ovidius:

Utque novis facilis signatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formam servat eandem;
Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eandem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.
(*Metamorph. lib. XV. v. 75.*)

Hic accedit ad Pithagoræ sententiam. Si postea juxta Pythagoram dicta fuere: credit hic, animam mundo infusam esse ipsumet Deum, & cum Panthæistis recte potest confundi. Sic Cato apud Lucanum lib. IX. ex veterum sententia

Est ne Dei sedes nisi terra, & Pontus, & Aer,
Et Cœlum, & virtus? quid quærimus ultra?
Jupiter est quodcunque vides, quodcunque moveris.

Quidam Alexander Epicureus, juxta Albertum Magnum (*Vid. Peter de comm. Princip. lib. 5. cap. 12.*) idem docebat. Inquit enim hic, *Alexander Epicureus, Deum esse materiam, dixit, vel non esse extra ipsam, & omnia essentialiter esse Deum, & formas esse accidentia imaginata, & non habere veram entitatem, & ideo dixit, omnia idem esse substantialiter.*

(cc) V. Petrum Vallensem. *Itiner. tom. 3.*

refert (*ff*) quæ ad hæc reducuntur, vel reduci possunt. Definit primum substantiam, *ens quod ipsum per se intelligi potest, sive cujus notio a notione alterius non pendet*, ex quo sequitur, duas, pluresve substantias nihil communis habere, adeo ut si extent distinctæ, æque diversæ essent in omnibus prorsus attributis (*gg*). Hinc elicitur, alteram ex hisce substantiis creatricem, alteram vel alias creatas esse nequire, aliquid enim cum effectu communi communem debet causam habere, adeo ut alterum per alterum debeat percipi; Ex dictis hinc posse dici, creditur, quod una substantia si ab altera creatur, & ideo etiam perpetuo conservetur (hh) esset simul substantia, & non substantia (ii) quod plane repugnat; si ergo nulla substantia potest creari, remanet, omnem substantiam a se, extare debere. Et cum ex una parte, si plures forent substantiæ a se, in aliquo attributo convenirent, in existentia scilicet a se: ex altera si duæ substantiæ, vel plures nihil commune possint habere, sequitur, unam tantum esse substantiam, nec a mundo substantiam ipsam distingui, & ex natura substantiæ, quæ est *existere*, per consequens esse æternam, & a se, id porro confirmari, arbitratur.

Tam impium systema sunt inter alios secuti Cuffelerus, atque Tollandus, quorum primus hæc apud Buddæum (*kk*) habet in Opere, *Specimen artis ratiocinandi*, nuncupato (*ll*): *quibus præmissis sequitur mundum in statu, in quo jam est, dependere a Deo, hoc est, quod contineatur in essentia divina, æque fere ac æqualitas inter quadratum ex AC, & rectangulum ex BC, & CD* con-

---

(dd) Benedictus Spinoza est Amstelodami natus 24. Novembris 1632. Hagæ Comitum mortuus 21. Febr. 1677.

(ee) In Tractatu Theologo-Politico de libert. Philosophandi qui vivente Auctore lucem vidit ipse Spinoza hoc primum enunciavit, deinde in Æthica thypis, post ejus mortem donata omnibus suis numeris absolvit. (*V. Schol. prop.* 15.).

(ff) V. Traité de l' Atheisme, & de la Superstition. Amsteldam 1740 pag. 247.

(gg) Si aliquid communis haberent, unius notio penderet ab alia. Quod est contra definitionem.

(hh) *V. adn.* 79 *tom.* 1.

(ii) Esset, nam pro substantia ponitur, non esset, quia sine substantia creante & necessario conservante ut perstet, percipi nequiret. quod definitioni substantiæ opponitur.

(kk) Lib. cit. pag. 84.

(ll) Hoc opus est editum Hamburgi 1684.

continetur in essentia circuli BAD; & quemadmodum illa aequalitas semper in circulo contenta fuit, & erit, licet memoratae lineae nunquam ductae fuissent, eodem fere modo essentia Mundi ab omni aeternitate in essentia Dei fuit contenta, & ex ea emanavit, eque in aeternum in ea continebitur: illa autem nullo modo est ex nihilo juxta innatam in nobis veritatem; quia nobis a Deo ipso dictatur, quod ex nihilo nihil fit; secundus in libro *Panthaisticon* appellato apud anglicos edito his verbis explicatur. *Pantheistae ut plurimum vocantur propter sententiam de Deo; & Universo sibi propriam. Epicureis vero, & Choalogis e diametro oppositam; quum nullam confusionem primaevam, nedum casum ullum mundi opificem admittant Pantheistae, sed de rerum causa & origine cum Lino vetustissimo statuant; ἐκ παντὸς δὲ πάντα ἐκ καὶ παντῶν τῶν ἐστιν. Idest ex universo quidem sunt omnia, & ex omnibus universum. Hujus versiculi, quem semper habent in ore, purior est explicatio, quam nos hic breviter tradimus. Universum itaque, cujus exigua portio est hic mundus adspectabilis, affirmant esse infinitum tam extensione, quam virtute; continuatione vero totius & partium contiguitate unum: immobile secundum totum; quum extra eum nullus sit locus, aut spatium: mobile autem secundum partes; sive per intervalla numero infinita, incorruptibile simul & necessarium utroque modo, existentia scil. aeternum, & duratione, nec nisi leve similitudine eodem nomine eum nostra intelligendi facultate appellandum cujus denique sunt partes integrantes semper eaedem, ut partes constituentes in motu (mm)*: His expositis ad eorum refutationem aggrediamur.

I. Cum anima nostra non sit ex Spinozae sententia, quam divinae substantiae modificatio, & habeat, ut nos observavimus (nn) facultatem plura una simul percipere; non posset alioquin relationes, similitudines, convenientiam, vel discrepantiam cognoscere, ut revera noscit; est sane dicendum, quod in Spinozae systemate uno eodemque tempore debeant in anima esse plures divinae substantiae determinationes, cognitionesque, quapropter duae assensiones, appetitionesque contrariae deberent in ea observari; quid enim repugnat, quod una ex istis modificatio rationes quibus alicui debeat assentire non perpendat; & objectum ipsum amet eo tempore quo, modificatio altera rationes eidem dissentiendi agnoscat, & odiose in ipsumet objectum inflammet?

Ex

(mm) V. Apud Sykes connection de la Religion naturelle &c. pag. 85.

(nn) Tom. 1. adn. 4.

Ex quo fit, quod cum nobis esset non una divinæ substantiæ modificatio sed plures, & uno eodemque tempore contrariæ, in ipsa Dei substantia in qua, ut in sua essentia conveniunt, contrariæ quoque hæ determinationes debeant extare. Et quando ex paritate cujusdam peculiaris substantiæ corpori inhærentis, credatur hoc argumentum infirmari; quod non facile obtinget propter substantiæ disparitatem, aliud robustius ex eodem principio emergit, cui rationem contradicendi deficere, credamus.

II. Si omnia quæ oculis obversantur attente contemplemur, in iis continuo fluxu varias determinationes inter se valde discrepantes non modo; verum etiam oppositas; & successivas observamus. Si hæ successiones, determinationes, vicissitudines omnibus quæ sub pedibus nobis sunt continuo insunt, hæc omnia nihil immutabilitatis, independentiæ, perfectionis habent, ut sint divinæ substantiæ partes, vel modificationes, immo cum omnia mutabilia sint & in infinitum modificabilia, contingentia esse debent, quam ob rem juxta Panthæistas nequeunt habere existentiam in natura sua necessariam, vel Deus non esset necessarius & æternus quod pro absurdo tenetur. Nec valet respondere, quod determinationes cum fuerint semper, & ab eterno, non aliud fit factum, quam ex una ad aliam infinite extensæ substantiæ potentialem partem migrare; per consequens, positis harum determinationum variationibus, Spinozæ Deus, quoad suam totam substantiam pertinet; prorsus idem perseveret; & immutabilis ac æternus sit per essentiam. Puræ enim determinationes extensam substantiam nequeunt peragrare atque ex una in alteram ejusdem partem migrare, non erunt alioquin amplius determinationes, sed ipsæ substantiæ (oo). Ulterius. Hæ determinationes vel in iisdem prorsus potentialibus partibus perstiterint ab æterno, vel ab æterno pariter ab aliis ad alias trasmiserint. Si primum, nulla esset ratio sufficiens, qua loca in tempore commutarent (pp); ergo aut ab æterno mutarunt locum sua virtute, vel virtute substantiæ in qua sunt, aut nunquam locum mutare potuerunt. Si secundum: cum agatur

(oo) Permeatio supponit vim, vis subjectum, subjectum substantiam; ut meditantibus patet.

(pp) In nostra sententia ratio sufficiens existit in Deo se libere determinante ad creandum Mundum cum omnibus suis determinationibus, non ita in Spinozistarum systemate, in quo contenditur, hanc substantiam extensam necessario operari, nam quod necessario operatur, semper vel nunquam operatur.

tur de *Ente a se* quod non est mutationi abnoxium, immo cum debeat in se complecti omnia possibilia, nihil ei novi accedere, vel decedere potest. Ergo luculenter patet, quod e spinozistarum, Pantheistarumque systemate, absurda complura emergunt (*qq*).

Si postea animum advertemus ad id super quo Spinozæ systema perstruitur, statim videmus ejus sententiam propter suæ basis debilitatem, atque incertitudinem præcipitanter ruere. *Duæ*, inquit, *aut plures substantiæ idem attributum habere nequeunt*, in quo si paulisper meditamur, invenìemus porro, duas aut plures substantias similes, vel prorsus similes esse non posse, non vero substantias ex pluribus attributis conflatas impossibilitatem habere ex parte similium inter se posse convenire. Quid repugnat enim, quod plura corpuscula extensa diversis determinationibus substantialibus prædita conveniant in genere, ut logici ajunt, & non conveniant in specie, adeo ut omnia hanc vel illam figuram, hanc vel illam densitatem, ac magnitudinem diversam habeant, quapropter hæc differentiæ substantiales, quibus singula possint differre, in extensa substantia conjuctæ non possint ab ea separari, quin totum intereat, & omnia se æquarent, ac in extensione inter se convenirent? Nescii non sumus, hic respondere Spinozam, *quod si duæ substantiæ aliquid communis haberent, altera per alteram posset intelligi, quod est contra substantiæ definitionem, cujus idea ab idea alterius, utpote substantia per se existens, nequaquam debet pendere*. Ut ejus parallogismus ad animum sensibilis redeatur, est sane considerandum

(qq) Sic optime Genuensis. *Qui dicere possunt sine contradictione, unam esse universi substantiam* IMMOBILEM SECUNDUM TOTUM, *sed mobilem* SECUNDUM PARTES, SIVE PER INTERVALLA NUMERO INFINITA. *Nempe hæc una substantia, quæ Deus illis est, per intervalla infinita discerpitur, sed una interim est, incorrrptibilis ac necessaria. Quid est aliud* LUDERE PAR IMPAR? Sic pergit. *Tandem enigma illud, nisi Oedipus espediat, intelliget profecto nemo*, CUJUS PARTES INTEGRANTES SEMPER EADEM (*idest ut patet ex sequentibus, immobiles & immutabiles*), UT PARTES CONSTITUENTES IN MOTU. *An ne aliæ* CONSTITUENTES, *aliæ* INTEGRANTES *Universi partes? An quæ demum utraeque? Sed rem est agere supervacancam eos studiose refellere, qui nec se intelligere unquam potuerunt, & eum impietate homines ludificare voluisse videntur* [*V. El. met. p* 3. §. 34.].

xandum, quod aliud est ideam unius substantiæ necessario pendere ab idea alterius, aliud est sine ulla necessitate eam posse pendere: illud exprimit, eam substantiam, cujus idea sine alterius idea non potest haberi, non esse per se, non ita hoc. In idearum origine vidimus *(rr)*, quod idea, quam suimet anima habet, ab idea corporis, quatenus hæc prius in anima excitatur, pendeat, veruntamen anima substantia est a corpore sejuncta, & agit sine absoluta necessitate, ut antea enucleavimus *(ss)*. Ulterius, si duæ substantiæ aliquid habeant communis, ut corpuscula sunt, quæ inter se conveniant in extensione, etsi ex cognitione unius corpusculi possim ad imperfectam *(tt)* & abstractam cognitionem alterius venire; veruntamen non est peropus, primi cognitionem ex secundo haurire, ut nec secundi ex primo, quia primi cognitionem sine secundo, secundi sine primo optime possum comparare. Sequitur ergo, quod quanquam possim ex unius cognitione in alterius cognitionem venire, non ideo, ut a Spinoza contenditur, ex iis neutrum per se esse posse *(uu)*.

Ut

[rr] *V. lib. 1. tom. 1.*

[ss] *V. Medit. de Vol. ac lib. hom. tom. III.*

[tt] Ratio est, quia aliæ sunt densitates, figuræ, magnitudines in aliis, in aliis aliæ, & idea generis, quæ in omnibus est, non repræsentat omnes substantiales differentias, quæ permagne sunt necessariæ ad perfectam eorum cognitionem adipiscendam.

[uu] Permagne conferre puto, hic addere quod contra dictum ex Cuffelero scribit Johannes Baptista Scarella qui sic ait „ Ea „ quæ reipsa non sunt, nec reipsa æqualia esse possunt. Jam „ vero si solus circulus reipsa sit, idest solum corpus uti cy„ lindrus, cujus superficies sit circularis, non continuo sunt „ etiam aliæ duæ planæ superficies, quarum altera sit rectan„ gulum, cujus basis sit primum diametri circuli segmentum, „ altitudo sit secundum; altera sit quadratum; cujus radius „ semiordinatam circuli iis segmentis respondentem exæquet. „ Ergo cum solus circulus reperitur, illa æqualitas acta, & „ reipsa in eo non est, sed tantum in potentia. Quare sicut „ ad hanc æqualitatem ad actum redigendam præter corpus in „ quo est circuli superficies, alia duo ponenda sunt in quibus „ quadrata & rectangula superficies habentur; ita si quid Cuf„ feleri exemplo momenti est ad Mundum, qui in Deo solum

„ po-

Ut Spinozistæ propriam sententiam defendant ab omni latere convicti ad aliud argumentum recurrunt, *non posse*, inquiunt, *a nobis comprehendi, quo modo materia hæc ab ente a se & incorporeo creari potuerit*, quapropter ex hac ignoratione consequi, credunt, *materiam hanc ab æterno extitisse*. Nihil magis hoc argumento futile esse potest, ac ridiculum. Nos non concipimus quomodo ex sexuum combinatione animalia surgant: quomodo ex parvo plantæ semine se tam ingens moles in truncum, ramos, folia, flores, fructus luxurians in aera extollet: quomodo demum, ut omittam cætera, Magnes in ratione inversa duplicatæ distantiæ ferrum trahat, est ideo dicendum vel omnia revera non fieri, vel omnia ab æterno extitisse; Sed ut cominus argumentum sumam, sic arguo. Caussas, quæ virtute creandi carent, ut omnes creatæ substantiæ sunt, non posse dare, & cum effectibus, qui ab ipsis caussis producuntur, communicare, quam id quod habent in individuo, juxta illud *nemo dat quod non habet*, & ideo quid novi non posse producere, concedimus; Caussam postea vi creandi præditam, ut Ens a se, non posse ex nihilo educere novum ens, & individuo distin-
ctum

„ potentia reperitur, ad actum redigendum, necesse est ponere „ quidpiam, quod a Deo distinguatur. Nec dicat saltem illas „ lineas, quamvis descriptæ non sint, ita in circulo reperiri, „ ut ex nihilo non educantur. Id enim quam habet vim in „ falsa & obscura quantitatis continuæ notione, quæ apud alios „ obtinet, nullam habet in illa vera & perspicua. Si enim sit „ unus vere continuus cylindrus, qui corpusculum primitivum „ esse debet, cujus proinde basis sit verus continuus circulus, „ in ejusdem area nulla vera linea recta; quæ est limes su„ perficiei rectilineæ, aut est, aut esse potest, eo quod ille „ cylindrus, & ipsius basis nec ab ipsomet Deo in partes di„ spesci possunt, adeo ut restet primum solus semicirculus, & „ vera linea recta, quæ diametrum æquat, & inde divisione „ semicirculi secundum ordinata residua sint duo segmenta, in „ quorum altero sit linea æqualis una segmento diametri, & „ linea æqualis semiordinatæ. Sed ad hujusmodi lineas reipsa „ obtinenda alia sunt ponenda corpora, in quibus dictæ su„ perficies iis lineis tamquam suis limitibus circumscriptæ re„ periantur. Ergo tantum abest, ut ex Custeleri exemplo ali„ quid pro caussa Spinosiana præsidium peti possit, ut ex illo „ potius eadem quam maxime labefactetur (*V. Teol. Nat. par.* „ 1. §. 20. *n.* 20.).

ctum ab eo quod est in causa, negamus: Entis enim possibilitas est in ente a se, tanquam attributum ipsius entis (xx), nam cum sit potentia attributum substantiæ, nonsubstantia per se existere nequit, idcirco debet esse in ente a se, quod tantum habeat potentiam alia entia creandi, per consequens Deus infinita virtute prædìtus potuit ex nihilo aliquas substantias creare: non tamquam ex subjecto, sed tamquam ex termino, ut cum scholis loquamur, & ipse Deus est a Mundo diversus propter diversitatem habitam inter causam creatricem & effectum (yy). Quapropter luculenter, est demonstratum dari, I. *Ens a se existens quod omnia quæ aspicimus in hoc universi spatio libere creavit* [zz], II. *Quod sit a Mundo diversum* (az).

CA-

[xx] Ens a se continet omnia possibilia.

[yy] Sic Baumeisterus ex Wolfii notionibus demonstrat, dari ens, a se & a mundo diversum. „ Hic nexus causarum, quo „ mundus præcipue hic est Mundus nec alius debet habere ra„ tionem sufficientem, cur præcise hic nexus sit nec alius. Hæc „ ratio sufficiens, aut est in ipso causarum nexu & serie, aut „ extra eam. Non potest esse in ipso nexu, & causarum serie, „ alias causarum nexus & series extet absolute necessaria, quod „ est contra §. 425. Ergo debet ratio esse extra eam seriem. „ Ergo debet ens existere, quod a causarum serie est diversum, „ & in quo ratio continetur sufficiens, cur hic precise nec alius, „ nexus adsit, „ [*V. Inst. met. de Dei exist.* §. 780. *Schol.*).

[zz] Remanerent duo ad differendum 1. hujus Entis attributa ostendere. 2. ipsius providentiam demonstrare, sed consulto ea omittimus. Deus ens est per se existens, absolutum, independens, necessarium &c. continet ergo omnes possibiles perfectiones, hæ perfectiones summo gradu considerata sunt ipsamet attributa, ut meditantibus patet, per consequens supervacaneum puto, hac super re nova verba proferre. Quod ad providentiam attinet videri potest quod scripsimus alibi [79. *tom.* 1.], tantum addam quod scripsit Plato, En verba, *Caveamus ne Deum mortalibus Opificibus viliorem putamus. Isti sane, quando peritiores sunt, tanta arte in propriis ipsorum operibus, & parva simul, & magna exquisitius perficiunt: Deus vero, qui sapientissimus est, curare potest, ac vult non magna solum, sed etiam parva, quæ facilius servari possunt, prospicit; ut nefaria esset cogitatio Deum pigritiæ & ignaviæ accusare.* [*V. lib. X. de leg.*]. Est pulchrum aliud a Cicerone allatum, in integrum re-

C A P. XI.

De cognitione noſtra exiſtentiæ rerum aliarum.

§. I.

Per ſenſationem tantum acquiritur.

NOſmet exiſtere, ſimplici intuitu, eſſe *Deum*, rationis lumine, nos edoceri, præcedentibus capitibus oſtenſum eſt.

Aliam quamvis rem *exiſtere*, *per ſenſationem* tantum diſcimus: cum enim inter *realem exiſtentiam*, atque *Ideam* quamvis, in mente conſignatam, aut inter alterius alicujus entis, (Deum tantum excipimus) atque particularis cujuſvis hominis exiſtentiam, nulla fit connexio naturalis; aliud quodvis ens exiſtere, nemo ſcire poteſt; niſi quando id, in eum agendo, ſenſus afficit. Ex *idea* enim, in mente conſtituta, haud magis ens illud, quam ex picta effigie qua-

referam & huic meditationi finem dabo. *Sunt philoſcphi, & fuerunt, qui omnino nullam habere cenſerent humanarum rerum procurationem Deos. Quorum ſi vera eſt ſententia, quæ poteſt eſſe pietas, quæ ſanctitas, quæ religio? hæc enim omnia pure ac caſte tribuenda deorum numini ita ſunt, ſi animadvertuntur ab his, ſi eſt aliquid a Diis immortalibus hominum generi tributum. Si animo Dii neque poſſunt non juvare, nec omnino curant, nec quid agitur, animadvertunt, nec eſt, quod ab his ad hominum vitam permanere poſſit, quid eſt, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus.* [*V. de nat. Deor.*].

quadam hominem, aut ex somniorum visis, res ipsas existere, probatur.

§. II.

Exemplum petitur a chartæ albedine.

IMagines itaque extrinsecus actu receptæ, efficiunt, ut certo sciamus, aliquid tunc extra esse, quod *ideam* istam in nobis excitat, etiamsi, quo modo fiat, prorsus ignoremus: non enim de sensuum fide, aut *idearum* nostrarum auctoritate illud derogat, quod modus productionis illarum nobis ignoretur: *V. g.* dum hoc scribo, quæ oculis obversatur, charta *ideam* istam in mente parit, quam ego, ex quocunque ea objecto nascatur, *albedinem* voco; unde compertum habeo, qualitatem aut accidens illud, extra in rerum natura, realiter existere. Hujus rei testimonium, quod maximum mihi per sensus dari potest, oculi perhibent, quorum in hac re fides tanta est, ut non magis dubitare possim, utrum, dum hæc scribo, aliquid extra me videam, albedine atque nigredine affectum, quam utrum dextram moveam aut scribam, nec ne; atque hæc certitudo est, qua de rei ullius, præterquam de sui ipsius, aut *Dei* existentia, non majorem quispiam habere possit.

§. III.

Hæc etiamsi haud certa adeo, ac est demonstratio, cognitio tamen dici potest, atque, res extra nos existere, probat.

ET *si rerum extra nos, quam per sensus adipiscimur*, non certa adeo est, ac illarum cognitio, quas intus intuemur, aut ratio colligit, circa claras mentis nostræ *ideas* abstractas quando versatur; quæ ta-

tamen de iis menti innascitur, stabilis adeo & firma opinio est, ut *jure optimo cognitio dici mereatur*. Si putamus eas, quæ in nobis insunt, vires animorum revera agere, atque de objectorum, per quæ afficiuntur, existentia recte sentire, exinde recepta haud inanis erit persuasio: Credo enim, neminem serio scepticum adeo esse, ut de rerum, quas intuetur ipse ac contrectat, existentia dubitet. Saltem ei, qui eo usque dubitat, (qualiscunque etiam ipsi sit cum mente sua) mecum certe nulla erit controversia; quoniam certo scire nequit, me quippiam dicere, quod sententiæ ejus repugnat. Mihi quidem Deus, res extra me existere, exinde extra dubium posuit; quod alio atque alio modo corpori admotæ, voluptatis & doloris, in quibus maxima sunt vitæ hujus momenta, in me sensum excitant. Certo certius est, id rerum materialium existentiæ fidem maxime facere, quod, sensus haud nobis imponere, persuasissimum habemus. Nihil enim agere possumus, nec de cognitione ipsa loqui, nisi facultatum adminiculo; quæ ad percipiendum, quid cognitio sit, a natura aptæ & accommodatæ sunt. At præter testimonium illud sensuum, qui non falluntur, exhibendo nobis notitiam de rerum externarum existentia, quando actu rebus istis afficiuntur; alia quoque argumenta afferri possunt, cur res extra nos existant.

§. IV.

Primo, *quoniam non nisi per sensus introire possunt*.

Primo, liquet, perceptiones istas in nobis fieri per causas exteriores, sensus moventes: quoniam *ii, quibus sensus cujusdam organa desunt, ideas sensus istius proprias* in mentibus recipere nequeunt. Hoc satis exploratum est; ideoque extra dubium est, eas

eas non aliter, quam per sensus istius organa intromitti. Patet, eas haud produci ab ipsis objectis: si enim hoc esset, oculi hominis colores producerent in tenebris, atque in hieme rosas olfaceremus: contrarium vero experientia docet, nec *pomi Cybeles* saporem quis novit, nisi qui in *India* illud gustaverit.

§. V.

Secundo, *quoniam Idea a sensatione actuali, valde ab ea discrepat, quæ ex memoria nascitur.*

SEcundo, probatur, quod perceptiones a causa externa proficiscantur, quoniam *Ideæ in me nonnunquam producuntur, sive illud velim, nec ne.* Etiamsi enim clausis oculis, aut fenestris obturatis, possum *lucis* aut *solis ideas*, prius in memoria reconditas, pro lubitu in mente suscitare; atque *ideam* istam missam faciens, in ejus locum eam adscifcere, quæ nascitur ex rosæ *olfactu*, aut *gustatu* sacchari: at si ad solem meridianum oculos convertam, *idearum*, quæ ex *luce* tunc aut *sole* fluunt, impetum declinare nequeo. Unde patet, magnum esse discrimen inter *ideas*, in memoria repositas, (quas, si ibi tantummodo essent, liceret cuipiam pro arbitrio suo, aut rejicere, aut menti coram sistere aut ostendere) atque inter eas, quæ, velim nolim, impetum atque incursum in me faciunt. Quare ab agente externo, sive objecto aliquo, cujus vi nequeo resistere, *ideas* istas in me vel volentem, vel invitum manare necesse est. Præterea nemo non in semet experitur, quomodo *Solis idea* in memoria ab ea discrepet, qua præditus est, quando actu eum intuetur; duæ istæ plane diversæ sunt: quare certo scit, non utramque effectum suæ memoriæ esse, aut suæ mentis produ-

ctionem merasque phantasias, in ipso formatas; verum actualem Solis visionem causam extrinsecus habere.

§. VI.

Tertio, *voluptas & dolor, quæ actuali sensationi insunt, redeuntibus ideis istis sine objectis externis, haud in nobis resuscitantur.*

TErtio, his addi potest, *plurimas ex ideis istis non sine dolore in nobis pruduci, quæ in memoriam postea revocatæ haud minimam offensionem & molestiam habent*. Ita nimirum licet calor aut frigus præsens nos affligat & excruciet, id quod a disturbatione, quam Objecta exteriora in corpore nostro efficiunt, quando illud afficiunt, proficiscitur; quando tamen *idea* utriusque in mente denuo suscitatur, id fit sine omni perturbatione. Atque in *famis*, *sitis*, & *cephalargiæ* memoriam sine ulla offensione redimus; quæ vel nunquam, aut quoties de iis cogitaremus, constanter certe nos excruciarent, si nihil essent, quam *ideæ* in mente fluctuantes, sine rerum extra nos existentia. Idem dici potest de voluptate, quæ comitatur actuales plurimas sensationes. Et licet demonstrationes Mathematicæ sensu haud nitantur, per diagrammata tamen quando examinantur, exinde visus testimonio fides conciliatur, efficiturque, ut demonstrationem ipsam certitudine æquare videatur. Hoc enim absurdum & quam maxime mirum videretur, si quis tanquam invictam veritatem admitteret, ex duobus figuræ angulis, quam quis per lineas & angulos diagrammatis metitur, alterum altero majorem esse; & tamen dubitaret, utrum anguli & figuræ, quas intuetur, & pro mensuris utitur, revera existant, nec ne.

§. VII.

§. VII.

Quarto, *sensus nostri sibi invicem testimonium perhibent res extra nos existere.*

QUarto, idem, quod de rerum extra nos existentiâ quidam ex sensibus *testimonium* dant, alii sensus sæpissimé confirmant. Si quis, ignem intuens, utrum quid reale sit, dubitat, si manum propius ad eum admoverit, tollitur statim dubitatio ista. Vix enim putabit, id puré nihilum esse, quod dolorem parit, nisi forte dolorem ipsum figmentum esse putat: quem tamen postea, ideam istius suscitando, in se resuscitare nequit.

Dum hæc scribo, video, me chartæ faciem immutare posse, & prædicere, quam novam *ideam* pennæ motus proximo momento sit exhibiturus: quam, manu quiescente, vis immaginatrix in charta depingere haud unquam poterit, nec fieri potest, quin ipse *Ideas* habeam characterum istorum, posteaquam ita in charta depictæ fuerint. Unde patet, eos non esse mentis figmenta, cum videam, characteres, quos pro mentis meæ arbitrio formavi, non meæ postea voluntati parere & subjectos esse, nec, amplius existere, desinere, quando, quod ii non amplius existant, mihi imaginor; verum, etiamsi forsan ipse nolim, in ea, qua sunt, figura sensus meos regulariter & constanter afficere. His si addamus, characteres istos, ab aliis quando conspiciuntur, quos ipse designavi, & volui, sonos elicere haud ratio erit, cur dubitaremus, utrum res, scriptis traditæ, extra me existant, nec ne; quia verba ista, quæ scribo, hanc longam sonorum regularium seriem, quibus aures meæ actu afficiuntur, producunt, qui nullo modo meæ immaginationis effectus esse, nec a memoria mea, hoc quidem ordine, retineri possunt.

peret. Atque sic hæc evidentia adeo est magna, ut majorem optare non possimus; cum sit æque certa, ac voluptas aut molestia, quam nos persentiscimus, hoc est dicere, felicitas nostra aut miseria; ad quæ duo omnes nostræ cognitionis, aut existentiæ rationes spectant. Rerum externarum existentiam hoc modo perspectam habere abunde sufficit, ut, quæ ab iis manant, bona prosequamur, & mala fugiamus, nec video, quid ulterius in hac cognitione spectandum sit.

§. IX.

Sed ultra actualem sensationem non pertingit.

QUandocunque igitur *idea* quædam per sensus in mentem perfertur, scimus necessario, aliquid tunc temporis extra nos esse, quod sensus afficit, atque *ideam* istam in nobis eo tempore producit, nec fas est, eorum testimonium eo usque fide apud nos carere, ut dubitemus, utrum istæ ideæ, prout sensibus conjunctæ videntur, revera etiam conjunctim existant, nec ne. *Hæc* autem *cognitio ad præsens tantum sensuum testimonium*, quibus singularia objecta obversantur, *& non ulterius pertingit*. Si enim simplicium *idearum* congeriem, quam dicimus *hominem*, simul existentem momento superiori vidissem, e conspectu ejus statim sublatus, certus scire nequeo, eundem nunc *hominem* existere, quoniam inter superioris momenti existentiam ejus & eam, quam nunc habet, nulla naturalis connexio est: Mille enim modi sunt, quibus is potuit desinere, ex quo ipse eum conspexi. Quod si itaque certus esse non possum, utrum etiam homo iste, quem hodie paucis horis ante contemplatus sum, in præsenti adhuc existat; multo minus id fieri poterit, ut mihi certo constet, eum existere, qui longiori tem- ...

a me fuit sejunctus, & quem toto die vel etiam integro anno non aspexi; minime vero mihi erit evidens eorum existentia, quos nunquam vidi. Quare etiamsi probabile sit, myriadas hominum nunc existere; interim tamen, dum hæc solitarius scribo, nequeo illud certum & indubitatum habere: licet tanta rei hujus verisimilitudo mihi de eo dubitare non permittat, mihique potius conveniat, ea fiducia varias operari res, ut credam, homines in præsentia existere in mundo, & ipsos homines, quos nosco & quibuscum mihi est negotii. Sed hæc in me nata persuasio, probabilitas tantum est, non certa cognitio.

§. X.

In omni re demonstrationem quærere, ineptum est.

UNde notare licet, quam stultus & absurdus hominum sit conatus, quorum angustis cancellis circumscripta cognitio est, & quibus ratio idcirco data est, ut de dispari rerum evidentia & probabilitate judicent, dum *demonstrationem* & certitudinem *in rebus quærunt, quæ certo sciri & demonstrari nequeunt*; atque dilucidas enunciationes, & veritates claras propterea aspernantur, quod minimam quandam dubitationem habeant. Si quis in vita communi nihil reciperet, nisi quod liquido demonstrari posset, is nihil certius sciret, nisi id, quod sibi cito pereundum esset. Hoc modo haud ipsius cibi aut potus salubritas ratio esset, cur iis uteretur, & scire cuperem quid illud sit, quod quis ejusmodi fundamentis suffulcire posset, ut omnis dubitationis & objectionis foret expers.

§. IX.

§. XI.

Præteritorum existentia per memoriam cognoscitur.

Sicuti certo scimus, objectum existere, quando illud sensibus actu obversatur; ita memoria efficit, ut pro certo habeamus, res olim extitisse, quæ sensus affecerunt. Sed hæc cognitio non latius patet, quam uti sensus nostri initio nos instruxerunt. Ita nimirum cum aquam nunc videam, extra dubium mihi est, eam existere: & quoniam, me aquam heri videre memini, quamdiu illud memoria custodiam, mihi exploratissimum erit, aquam extitisse (*) decima die mensis *Julii* Anno 1688. sicuti eodem modo erit verum, quod certus quidam colorum numerus extiterit, quos eodem tempore in bullulis super hac conspiciendis aqua deprehendi. Verum hac hora, qua a conspectu aquæ & harum bullularum sum remotus, non certius cognosco, num aqua in præsenti existat, quam utrum bullulæ istæ aut colores isti adhuc ibi reperiantur; cum non magis necessarium sit, ut hodie etiam aqua ista existat, quoniam heri extitit, quam est, ut hi colores aut bullulæ istæ hodie existant, quia heri extiterunt, licet infinitis modis sit probabilius, aquam existere; quoniam experientia docuit, aquam diutius existere, bullulas vero in aqua formatas suis cum coloribus quam citissime evanescere.

§. XII.

(*) Hoc ipsum erat tempus, quo Lockius noster hæc perscribebat.

§. XIII.

Propositiones particulares circa existentiam certo sciri possunt.

EX dictis patet; duo esse genera *enunciationum*. Primum genus est de *rei existentia*, cujus *Idea* in animo est: ita cum *Ideam* quis habet *Elephantis*, *Phænicis*, *Motus*; aut *Angeli*; ante omnia quærit, utrum ens illud in rerum natura existat; nec ne? atque hæc cognitio est *particularium* tantum. Rem enim quamvis extra nos existere; si *Deum* tantum excipimus; non nisi per sensuum testimonium comperimus. Secundum genus *enunciationum* est; in quibus *Idearum* nostrarum abstractarum convenientia aut repugnantia exprimitur: hujusmodi *enunciationes* possunt esse certæ & *universales*: Ita nimirum cum *Dei* & mei ipsius, cultus, reverentiæ & obedientiæ *Ideam* habeam, certus scio, statim par esse, ut ego colam & reverear Deum: atque idem dicendum erit de *hominibus* in genere, si modo *speciei*, cujus individuus ipse annumerandus sum, *Idea* abstracta recte a me conflata est. Hæc tamen propositio, *homines debent timere Deum eique obedire*, utcunque verissima, haud probat; homines in mundo existere, at de iis, quandocumque existent; vera erit: atque certitudo generalium istiusmodi propositionum e convenientia pendet aut repugnantia, quæ reperitur inter *ideas* istas abstractas.

§. XIV.

Uti & propositiones generales circa ideas *abstractas:*

IN priori casu, cognitio nostra sequitur rerum existentiam, quæ sensuum interventu *ideas* in mente producit: in posteriori, cognitio nascitur ex *ideis* in mente (quales sint), quæ pariunt ibi generales & manifestæ veritatis propositiones. Harum multæ dicuntur, atque omnes quidem sunt *æternæ veritatis*, non quia in omnium inscriptæ sunt, aut cujuspiam in mente erant, priusquam is, nactus *ideas* abstractas, de se invicem eas affirmavit aut negavit: Verum ubicunque animal illud esse concipimus, quod dicimus *hominem*, iisdem, quibus nos, facultatibus, & proinde *ideis* præditum, statuendum est, cum, quandocunque ad suas ipsius *ideas* animum attendit, perspectum statim propositionum veritatem, quæ ex illarum convenientia aut repugnantia oritur. Istiusmodi itaque propositiones dicuntur *veritates æternæ*, non quia ab æterno extiterunt, antecedenter ad intellectum, a quo constructæ erant; nec quia in animum ex exemplaribus inscribuntur, alicubi extra mentem existentibus: Verum quia circa *ideas* abstractas constructæ semel, ita ut veræ essent, quandocunque iterum tempore quovis, præterito aut venturo, a mente fieri concipiuntur, iisdem *ideis* imbuta, actu semper veræ erunt. Cum enim nomina easdem semper *ideas* signet; atque *ideæ* eædem eosdem habeant ad se invicem respectus, fieri nequit, quin propositiones circa *ideas* abstractas, quæ semel veræ sunt, æternæ sint veritates.

CAP.

CAP. XII.

De Profectu nostro in rerum cognitione.

§. I.

Rerum cognitio haud axiomatibus acquiritur.

INter eruditos recepta comuniter opinio est, *Axiomata* esse fundamenta omnis cognitionis; atque certa quædam esse præcognita, a quibus mentem ordiri, atque ad singulas *scientias* aditum sibi aperire, necesse sit; quare moris est in Scholis, in ipso operis limine unum, aut plura effata generalia isti, quam tractaturi sunt, scientiæ tanquam fundamenta substernere. Effata hæc *principia* vocantur, quoniam, in sententiis principem locum tenent, ab iis initium sumitur, & ad ea semper recurritur ad tollendas controversias: prout sæpius notatum est.

§. II.

Opinio ista unde.

HOc in aliis sententiis exinde contigisse probabile est, quod opinio sit, magnum ex iis in *Matematicis* fructum percipi, quæ quoniam iis certa cognitio acquiritur, obtinere κατ' ἐξοχὴν vocari Μαθήματα & Μάθησις, perinde, ac si, quæ in iis traduntur,

tur, comprehensa penitus, & præ aliis perspecta & perspicua essent (53).

§. III.

Cognitio proficiscitur æclararum & distinctarum Idearum comparatione.

AT si quis animum diligenter attendet, videbit, puto, *veræ cognitionis* certitudinem, quam in scientiis Mathematicis adipiscimur, non principiis sive axiomatibus quibusdam in scientiæ vestibulo traditis, acceptam referendam esse; verum *claris*, *distinctis*, *adæquatis Ideis*, circa quas mens versatur, atque æqualitatis & excessus relationi, quæ in quibusdam clara adeo est, ut intuitivam cognitionem, atque illius interventu modum ulterius in scientia proficiendi suppeditet, sine *Axiomarum* adminiculo. Rogo enim, annon puerulus sciri potest, corpus suum majus esse digito auriculari priusquam *Axioma* illud didicerit: *Totam est majus parte?* Aut si duo sint, qui cuidam rustico debent tres soldos: singuli vero unum persolverunt, nonne certo is scire potest, quæ ab iis persolvenda est, summam esse æqualem, absque istius, *si ab æqualibus æqualia adimatur, quæ remanebunt, æqualia erunt*, quod fortasse nunquam audivit, axiomatis adminiculo? Qui ad ea attendet, quæ dicta sunt alibi, fatebitur, credo, singulare exemplum prius a plerisque & clarius cognosci quam regula generalis; atque hanc ortum habere ab isto: Regulæ istæ generales oriuntur ex generalium atque abstractarum *Idearum* comparatione, quæ mente fiunt, atque his nomina imponuntur, ut ea, terminorum

(53) Habentur tanquam propositiones quæ demonstratione non idigent, quia fuere antea demonstratá.

rum generalium & brevium quarundam regularum ope ratiocinia sua, & multiplices observationes ad compendium ponat: At cognitio orta est in mente a singularibus ideis, licet de iis fortasse postea non cogitemus; menti enim naturale est (quæ nimirum rerum cognitione augeri quam maxime cupit), ut generales istæ notiones ad proprios usus recondantur, eaque ita memoria particolarium onere levetur, iisque supersedere possit. Enim vero, num quæso parvulo magis exploratum erit, totum corpus simul cum digito auriculari; majus esse digito auriculari, postquam isti *totius*, huic *partis*, nomen imponitur, quam prius erat; aut quæ nova cognitio, de corpore, non prius æque nota, ex terminis istis relativis oritur? annon compertum is haberet, totum corpus majus esse digito auriculari, etiamsi voces istæ *totum* & *pars* in sermone ejus vernaculo usitatæ non essent? Rogo insuper, postquam terminos istos didicerit, quomodo certior fiat, corpus esse *totum*, & digitum auricularem *partem*, quam prius erat corpus majus fuisse digito auriculari? Perinde quis possit negare, digitum istum partem esse corporis, ac eum minorem esse corpore? Quare Axioma illud, *Totum est majus parte*, nunquam potest afferri ad probandum, digitum auricularem minorem esse corpore, nisi id sine necessitate proponere velimus, quando nempe ejusmodi res probatur, quæ æque prius erat nota. Qui enim nescit, res duas, simul junctas, utravis seorsum majores esse, frustra is axioma quodvis adhibebit ex terminis relativis *toto*, & *parte* conflatum (54).

§. IV.

---

(54) Recte Lockius ubi agitur de rebus sensibilibus, & omnibus obviis, non de rebus intellectualibus, ut sunt res mathematicæ, quæ regulam quandam exponunt, & in sui conceptu difficultatem pariunt.

§. IV.

Haud totum est, precariis niti principiis.

UTcunque vero se res habeat ista in Mathematicis; quod sit magis perspicuum, si dicamus, dum lineæ nigræ duorum pollicum adimo unum pollicem, & lineæ rubræ duorum pollicum unum pollicem, residuum duarum linearum erit æquale, quam si dicamus, dum de rebus res æquales auferimus, residuum erit æquale; unicuique dijudicandum relinquo, quænam propositio altera sit clarior & notior, nam ad nostrum hoc institutum haudquaquam pertinet. Mihi tantum propositum est quærere, utrum, si via maxime compendiaria sit ad scientias, Axiomata adhibere generalia, atque in iis fundamenta jacere, haud periculosum sit, *principia* sumere in alia quavis scientia tradita, eaque statim, sine ullo examine pro non dubiis & manifestis, propterea habere, quod Mathematici nullis, nisi per se claris, usi fuerint Hoc si dabitur, nescio qnid sit, cujus in Morali & naturali Philosophia haud facilis foret probatio.

Si principium illud quorundam e veteribus Philosophis, *omnia nempe entia esse materialia*, pro certo & indubitato semel amplexemur, quænam exinde facile erit ex eorum scriptis conjectare, qui intermortuum illud dogma nostro hoc ævo resuscitarunt. Si cum *Polemone* quis putaverit; mundum, aut cum *Stoicis*, *Æthera*, ant *Solem*; aut cum *Anaximene*, Aera esse Deum, quis est, qui non videt, quæ Theologia, qui numinis cultus exinde nascatur? Nihil *periculosius esse potest*, *quam principiis hoc modo uti non diligenter antea perpensis*; præsertim si ad mores spectent, & vitæ actiones. Qui non diversum plane vitæ genus in *Aristippo* jure optimo requireret, qui felicitatem in voluptate abdominis collocandam statuit; atque *Antisthene*, qui dixerit, virtutem ad bea-

beatitudinem sufficere? Si quis cum *Platone*, beatitudinem posuerit in Dei cognitione, is alia plane meditabitur, quam ii solent, qui in res mundi hujus caducas cogitationes abjiciunt, neque oculos altius tollunt. Si quis, *Archelai* dogma secutus dixerit, *æquum & iniquum, turpe & honestum, legibus tantum, non natura definiri*, in eo aliæ erunt mensuræ rectitudinis & pravitatis moralis, quam in iis, qui putant nos, ante juris humani vincula omnia, naturæ legibus obstrictos teneri (55).

§. V.

Non hæc methodus certa est veri investigandi.

SI igitur, quæ *principia* vocantur, haud *certa* sunt, (id quod certo modo sciendum est ut a dubiis & incertis distinguantur) verum nobis tantum ista videntur esse, propter cæcum & temerarium assensum, tunc per principia, quæ veritatis fontes aperire debent, in errore magis firmabimur.

§. VI.

Acquiritur ea, claras & adæquatas ideas comparando, sub nominibus certis determinatis.

QUoniam vero cognitio tam certitudinis principiorum, quam aliarum omnium veritatum, ex perceptione tantum pendet, quam de *idearum* nostrarum convenientia aut repugnantia habemus, *haud augenda est cognitio*, principiis temere assentiendo,

(55) Recte est argumentatus; hac super re videri potest *adn.* 28. 49. 50. 56. 59. 61. *tom.* 1.

do, & in aliorum verba jurando; verum *claras, distinctas, & adæquatas ideas, in mente defigendo, easque illigando propriis & constantibus nominibus*. Hoc modo, fortasse, sine principiorum quorumvis adminiculo, perfectas istas *ideas* contemplando tantum, easque *inter se mutuo comparando*, convenientiam & dissidium, atque varias earum relationes & habitudines inveniendo; uberiorem cognitionem, & magis perspicuam adipiscemur, quam si principiis subnixi, mancipata mente aliorum dictata sequamur.

§. VII.

Ad scientias promovendas præ aliis potest idearum abstractarum contemplatio.

QUare consentaneum est, ut, rerum cognitionem investigantes, *disquisitiones nostras idearum, quas expendimus, naturæ*, & quam inquirimus, veritati accommodemus. Propositionum generalium veritas certa in habitudine fundata est, & respectu *idearum* abstractarum ad se mutuo. Hujusmodi propositionibus tunc tantummodo materiam recte quærimus, cum diligentes sumus & attenti in relationibus istis investigandis. Quæ in his servanda sit Methodus, a Mathematicis perdiscendum est, qui e paucis quibusdam & manifestis principiis, facili progressione, & continua argumentorum serie, ad veritates nos, & demonstrationes ducunt, quæ humanam intelligentiam transcendere videntur. Argumentorum inventio, & excogitatum ab iis singulare artificium inveniendi, atque ordine suo *ideas* intermedias disponendi, quibus æqualitas aut inæqualitas quantitatum ostenditur, quas inter se commetiri nequeunt, principium & fons est, unde tot præclara & miranda inventa manarunt: utrum vero simile quid in aliis, quod in quantitatis hisce Ideis, posthac aliquando

non

non excogitari possit, non hujus loci est statuere. Hoc tamen dicere, puto, fas est, nos cogitationibus altius penetraturos, atque res clarius perspecturos, quam putamus vulgo, si alias *Ideas*, quæ specierum suarum tam reales sunt, quam nominales essentiæ, eo, quo Mathematici, modo investigaremus.

§. VIII.

Hinc quæ mores spectant, clarius demonstrari possunt.

HInc eam, de qua supra, *Cap. III.* §. 18, seqq. hujus Libri opinionem concepi, *posse nimirum ea, quæ mores spectant*, haud minus, quam Mathematica, *demonstrari*. Cum enim Ethica circa *ideas* versetur, quarum reales sunt essentiæ, quæque, ut opinor, naturali inter se cognatione junctæ sunt; quatenus habitudines illarum & respectus ad se invicem investigari possunt, eatenus certam, realem, & generalem rerum cognitionem assequemur: & quidem nullus dubito, quin, si homines impensam huic rei operam darent, magna pars eorum, quæ traduntur in Ethicis, haud minus, quam Mathematicorum theoremata, demonstrari possent.

§. IX.

In corporum cognitionem si proficitur, soli experientiæ debetur.

IN corporum cognitione investiganda diversa longe ratio propterea servanda est, quod idoneæ nobis haud *Ideæ* suppetant. Non hic progredimur, sicut alibi (ubi *Ideæ* nostræ abstractæ tam reales sunt quam nominales essentiæ) *Ideas* contemplando, atque eam expendendo, quam inter se relationem ha-

 bent,

bent, hoc incassum fore, fuse a me alio in loco ostensum est. Hinc puto, perspicuum est, universalium cognitioni vix materiam aliquam ex substantiis suppeditari; atque *Idearum* illarum abstractarum contemplationem parum proficere. Quæritur vero, ad *substantiarum cognitionem* promovendam quid faciendum sit? Hic nimirum diversam longe rationem sequi debemus, & quoniam *essentiarum* haud nobis *Ideæ* suppetunt, ablegatis cogitationibus nostris, res ipsas, prout existunt, spectare cogimur. *Hic*, quod ratio nos docere nequit, ab experientia discendum est; nec aliter, quam experiendo, mihi exploratum esse potest, quænam aliæ qualitates simul cum iis existant, e quibus *idea* complexa conflata est; utrum nempe corpus illud *flavum*, *grave*, & *fusile*, quod *aurum* voco, *ductile* sit, nec ne; nec post tentamen illud (utcunque se habet) certus scio, rem ita se habere in alio quovis corpore, præterquam eo, de quo factum est experimentum. Haud sequitur enim, *ductilitatem* cum *colore*, *pondere*, & *fusilitate* corporis cujusvis alterius necessario esse connexam. Quod hic a me dictum est de *Auri* essentia nominali, ex corpore, puta, conflata, certo quodam colore, pondere, & fusilitate prædito, obtinebit etiam, si *ductilitas*, *fixitas*, & *solubilitas in aqua Regia* iis adjiciantur: desumta ab *ideis* hisce argumenta, parum conducent ad alia corporum attributa exploranda, in quibus hæc omnia inveniuntur. Cum enim proprietates aliæ istiusmodi corporum non e proprietatibus hisce pendeant, verum e latenti ista reali essentia, nude hæ etiam manant, nequeunt reliquæ harum adminiculo investigari; haud ulterius progredi licet, quam nos essentiæ nominales ducent, non longe nempe ultra semetipsas; quare his ideis universalium cognitionem certam & utilem non nisi rarissime consequamur necesse est. Cum enim experientia didicerim, particularem istam materiam (atque

alias omnes coloris, ponderis, & fusilitatis ejusdem, de quibus experimentum quovis tempore factum est,) esse *ductilem*, hinc, fortasse, attribuerim hoc in *ideam* complexam, atque *auri* nominalem *essentiam* à me adsciscitur: unde licet *ideam* istam complexam, quam *aurum* voco, plures quam prius *ideæ* simplices ingrediantur, quoniam tamen definitæ cujusvis corporum speciei non realem essentiam continet, haud mihi ad certo cognoscendum (non dico conjectura assequendum, id quod fieri posset) alias corporis istius proprietates ulterius adjumento est, quam ut plane sunt cum ideis simplicibus connexæ, è quibus nominalis ista essentia coagmentata est. Sic v. g. hac, quam proposui, idea Auri complexa certior redi non possum, utrum aurum sit fixum, nec ne, quoniam nullum inter ideam complexam corporis *flavi*, *gravis*, *fusilis* & *ductilis*, inter has, inquam, qualitatem; & *fixitatem*, deprehendo nexum necessarium, adeo, ut evidentissime cognoscam, in eo, quo dictæ qualitates reperiantur, corpore etiam necessario contineri fixitatem. Ut itaque hac in re maximam nanciscamur evidentiam, ad experientiam iterum recurrendum est, & quo longius ista patet, eo certiorem etiam cognitionem consequi possum; nec ulterius progredi datum est.

§. X.

Hinc quidem commoda vitæ petuntur, non autem scientia generalis hauriri potest.

HAud inficior, posse viros perspicaces, & Philosophia experimentali assidue versatos in naturam corporum altius penetrare, & de ignotis adhuc eorum qualitatibus rectius conjecturam facere, quam ii, quorum ab instituto vitæ id alienum est: hoc

vero, ut dixi, opinari tantum est, non certo scire. Ex methodo hac *substantiarum cognitionem adipiscendi*; per *experimenta* nimirum, & rerum naturalium *historiam*, quibus cancellis, in vitæ augustiis; nostra scientia circumscripta est, suspicor, naturalem Philosophiam in album scientiarum nunquam relatum iri. De corporum speciebus, & illorum variis proprietatibus, vereor, ne non cognitio generalis attingi possit: possumus equidem experimenta facere, & observationes Historicas, unde ad victum & valetudinem necessaria, atque vitæ hujus commoda affatim trahuntur; ulterius vero, puta, facultates nostræ pertingere nequeunt.

§. XI.

Apti nati sumus ad rerum moralium, & naturæ cognitionem consequendam.

QUoniam itaque mentis nostræ acies in naturæ fabricam interiorem, atque corporum essentias reales penetrare nequit; Dei vero existentiam, atque nostri cognitionem ita plane aperit, ut eorum satis admoneamur, in quibus officiorum & ad beatam vitam momenta maxima continentur; par est, ut nos, qui rationis sumus participes, animos circa ea occupatos teneamus, ad quæ maxime sunt accomodati, atque naturam, ubicunque manifestum iter ostendit, ducem sequamur. Putemus quippe consentaneum, nostri præcipue officii esse, cognitionem ista investigare, quæ cum animorum facultatibus maximam cognationem habet, in qua præcipua nostra, sempiterna nempe vitæ sors versatur. Ex dictis, puto, sequitur, sicut homines singulis peculiares sibi artes deligunt ad vitam sustentandam, ita hominum in genere (bonum summum perscrutari, quorum interest) negotii & officii esse, circa *morum cognitionem*,

nem, tanquam *propriam scientiam* versari. Quantum momenti sit ad vitæ humanæ commoditatem in corporis unius naturalis; & proprietatum ejus inventione, ex *Americanorum* omnium sorte, discimus, illi enim, in Orbe feraci & copiis omnibus circumfluenti, artium utilium & rerum pæne omnium ad vitæ usus necessariam expertes prorsus sunt, quod ex ignoratione istius provenit, quod in obscuro quodam corpore saxeo, *ferri* nempe minera reperitur: Et licet nos; in hisce mundi plagis, in quibus dubium est, an major sit scientiarum, quam rerum utilium, excultiorem nostram vitam fore ostentemus: nullus tamen dubito, quin cordati omnes mecum sint existimaturi, nos, amisso semel *ferri* usu, pauca intra secula iisdem fore moribus agrestibus, quibus veteres *Americani*, qui naturæ dotibus haud gentibus iis cedunt, quæ politiori humanitate aliis omnibus antecellunt. Quare qui solam abjectam istam mineram primus invenit; artium & cornuo-copiæ-inventor vere dici potest.

§. XII.

Vitandæ sunt hypotheses & falsa principia.

NOlim itaque hoc perinde intelligi, ac si homines a *Philosophiæ naturalis studio abstererem*. Lubens equidem confiteor, rerum creatarum eum esse admirabilem ornatum, ut nos, eas contemplantes, Deum opificem, atque ædificatorem suspicere atque admirari necessario cogamur: imo fortasse ex illarum attenta contemplatione generi humano haud minora emolumenta nascentur, quam ex munificentiæ monimentis, positis ab iis, qui non sine sumptu ingenti hospitia pro pauperibus & Xenodochia extruxere. Qui artem typographicam, aut acum nauticam primus invenit, vel *corticis Peruviani* veros usus

medicos notos hominibus fecit, plus fecit ad *scientias* promovendas, atque ad mercium utilium incrementa, atque ex fati faucibus plures ægros eripuit, quam qui academias, qui operariorum officinas publicas, & Xenodochia fundarunt. Istius, quod dico, summa est; frustrà nos scientiam venari, ubi ea neutiquam invenitur; aut per media, quibus ad eam perveniri nequit: haud fas esse, dubia & incerta systemata, pro scientiis perfectis, aut quæ minime intelliguntur, notiones quasdam obscuras sumere pro demonstrationibus scientificis. Circa corporum cognitionem quando versamur, satis habemus, oportet, ea scire, quæ ex particularibus experimentis discimus. Cum nobis haud liceat rerum consectari essentias, atque ita totum simul specierum naturas & proprietates, uno quasi in fasciculo comprehendere. Ubi de coexistentia inquiritur, aut repugnantia ad existendum simul; quod a nobis *Ideas* nostras spectantibus nequit investigari, ibi ad ea, quæ experti sumus, atqee animadvertimus ipsi, & ad historiam naturalem recurrendum est, ut videamus ita, quid sensuum ope, & particulatim, de substantiis corporeis didicimus. Corporum cognitio haurienda est a sensibus, ad qualitates eorum, & in se invicem operationes diligenter attendentibus: de spiritibus vero secretis & sejunctis a corporibus, quod in hoc ævo scire volumus, a Dei, puto, oraculis petendum est. Qui animo secum considerabit, *Axiomata generalia*, *principia vulgata*, & *hypotheses* ab omnibus *pro arbitratu suo conficta ad veram cognitionem*, & Philosophiæ naturalis progressus, quam parum, ad tot secula, profecerint; is fatebitur, nos plurimum iis debere, qui posteriori hac memoria breviorem multo & lucidiorem viam nobis aperuerunt, non quidem ad barbariem eruditam, verum ad cognitionem fructuosam.

§. XIII.

§. XIII.

Hypotheses quem verum usum habeant.

HAud inficior, quasvis adhibendas esse probabiles *hipotheses*, ad naturæ *phænomena* quævis explicanda: *Hipotheses*, si non inerudite sint fictæ, saltem haud parum memoriam adjuvant, & ad nova inventa nos sæpius ducunt. Quod ego vellem, est, ut caverent homines, ne non præpropero nimis studio quamvis adsciscerent, (prout menti humanæ in proclivi est, quæ rerum investigare causas, semper avida est, atque ad id, quibus nitatur, principia expetit) priusquam particulatim quæque expenderint, & variis experimentis circa rem factis, quæ per hypothesin istam explicanda est, viderint, utrum omnibus conveniat, nec ne; utrum, quæ excogitata sunt, principia incœptis ubique respondeant, & non cum uno naturæ phænomeno æque pugnent, ac ad aliud explicandum accommodata sunt. Cauto enim opus est, ne *principiorum* nomen nobis imponat, efficiendo, ut pro veritate non dubia illud amplexemur, quod, ad maximum, non nisi incerta conjectura est, cujusmodi sunt pleræque (pene dixeram omnes) Hypotheses, quæ naturali in Philosophia passim reperiuntur.

§. XIV.

§. XIV.

Ideæ determinatæ cum nominibus annexis, atque aliarum inventio, quibus convenientia aut repugnantia illarum ostenditur, unicam rationem continent augendæ nostræ cognitionis.

SIve autem, quæ in naturali Philosophia traduntur, demonstrari possint, nec ne, *modi augendæ cognitionis nostræ*, quatum viribus humani ingenii fieri potest, mihi videntur hi duo esse:

Primo. Quærendæ, & in mente defigendæ sunt Ideæ determinatæ rerum, quarum generalia & specifica nomina habemus; tot saltem illarum, quot contemplationi nostræ & mentis agitationi obversantur. Et si *substantiarum Ideæ* sint *specificæ*, videndum est, ut, quam fieri possit, perfectæ & completæ fiant, hoc est, tot simplices *Ideæ* conjungi & copulari debent, quot, simul semper existentes, *speciem* perfecte determinant: atque par est, ut singulæ istæ *ideæ* simplices, e quibus complexa ista conflata est, in mente claræ sint & distinctæ. Cum enim exploratissimum sit, cognitionem haud ultra *Ideas* nostras pertingere posse, consequens est, eam non posse certam, aut perspicuam esse, ubi eæ vel imperfectæ, confusæ, aut obscuræ sunt.

Secundo. Ad cognitionem nostram augendam *Inveniendæ* sunt *intermediæ* istæ *Ideæ*, quibus aliarum *Idearum* quæ nequeunt inter se immediate comparari, convenientia aut repugnatia ostenditur.

§. XV.

Exemplum petitur ex Mathesi.

NOs duobus hisce modis (non vero Axiomatibus nitendo, aut ex effatis quibusdam generalibus alia colligendo) viam rectissime instruere ad auctiorem cognitionem, tam in aliorum modorum *Ideis*, quam iis, quæ quantitatem spectant, palam erit ex iis, quæ in Mathesi discuntur. Ibi enim imprimis liquet, eum, qui non perfectam habet & claram *Ideam* angulorum, aut figurarum, quæ contemplatur illorum nullam omnino cognitionem attingere posse. Verbi gratia, si quis *Anguli recti*, *Scaleni*, aut *Trapezii* non perfectam habet, atque accuratam *ideam*, nequicquam is aliquid de iis demonstratum ibit. Ulterius liquet, haud præclara inventa, quibus magni nominis professores scientiam istam locupletarunt, ab axiomatibus ortum habuisse. Si quis excellenti & singulari ingenio accuratissima calluerit axiomata, quæ passim in Mathesi inveniuntur, tamen haud illorum adminiculo unquam, puto, sciet, *Quadratum lateris quod in triangulo rectangulo opponitur angulo recto, æquale esse quadrato duorum laterum aliorum*: Non ex eo, quod cognovit, *Totum æquale esse omnibus partibus suis, & si ab æqualibus æqualia adimantur, ea, quæ remanent, æqualia esse*, &c. hanc contexuit demonstrationem: nec video, quid prohibeat, quin is Axiomata ista attento animo diu intueatur, nihilo tamen plus veritatum Mathematicarum perspiciat. Illæ alio modo comparatæ erant: alia obversabantur animo, ab axiomatibus istis longe diversa, quando veritatum istiusmodi cognitionem primum assecutos est, quas homines in receptis communiter Axiomatibus satis versati, Methodi tamen ignari, quam secuti sunt iis, qui demonstrationes hasce primi invenerunt, haud satis admirari possunt. Et fortasse alii

alii posthac vias & adminicula invenient ad aliarum scientiarum augmenta non minoris usus, quam *Algebra* est in Mathematicis, quæ *Ideas* quantitatum nullo ferme negotio invenit ad alias mensurandas, quarum æqualitas aut ratio vix, ac ne vix quidem aliter inveniri posset.

C A P. XIII.

Aliæ quædam disquisitiones circa cognitionem nostram.

§. I.

Cognitio nostra quadantenus necessaria; quadantenus voluntaria.

COgnitio nostra, ut aliis in rebus, ita in hac præsertim, cum visu nostro magnam habet cognationem, quod *neque prorsus necessaria*, *neque prosus voluntaria sit*. Si ea, quæ est in hominibus, rerum cognitio necessaria esset, scientia in omnibus non tantum esset similis, verum unusquisque etiam omnia sciret, quæ sciri possunt; & si voluntaria omnino esset, plurimi tam nihil eam facerent, ut aut leviadmodum, aut prorsus nulla imbui mallent. Fieri nequit, quin, qui sensus habent, Ideas quasdam per eos recipiant; qui memorias, ex iis nonnullas inibi custodiant; & qui judicio pollent, quarundam inter se convenientiam aut repugnantiam cernant: quemadmodum qui præditi sunt oculis, si eos interdiu aperire velint, objecta quædam intueantur necesse est, atque inter ea discrimen percipiant. Etsi vero is, cui media in luce lumina sunt aperta, nequit

non

non videre: tamen quædam sunt, ad quæ liberum est ei, oculos referre. aut non; ita nimirum si liber ipsi ad manum esset picturarum forte aut fabularum refertissimus, e quibus oblectari magnopere, aut erudiri posset, soluta tamen ipsi esset eligendi optio, utrum eum aperire, aut inspicere vellet, nec ne.

§. II.

Applicatio voluntaria est, non vero intellectio.

ALiud etiam est situm in potestate hominis, etiamsi fortasse oculos ad objectum aliquod nonnunquam convertat, liberum tamen ipsi est statuere, utrum illud oculorum, atque ingenii acie omni contemplari, &; quæ in eo cerni possunt, omnia diligenter rimari velit, nec ne. Quod vero intuetur, haud aliter ab eo cerni potest, quam actu tunc objicitur: haud potest voluntas illud tanquam *nigrum* sibi repræsentare, aut *frigidum*, quod *flavum* aut *calidum* esse persentitur: non in terra verni aut æstivi flores, aut in pratis viriditas comparabit, quotiescunque ipsi visum fuerit; frigore hiberno, velit nolit, terram pruina canescentem cernat necesse est, si modo oculos huc illuc circumferre velit. Haud secus se res habet in intellectu, in cognitione nostra nihil *voluntarium* est, quam ut objectum quodvis pro arbitratu nostro breviter & in transcursu, aut accuratius contemplemur, aut facultates animi ab ejus contemplatione cohibeamus: at cum istæ circa illud semel versatæ fuerint, *haud penes est voluntatem efficere, ut intellectio hoc vel illo modo sequatur*; id fit per objectum, prout clare percipitur. Quatenus itaque sensus circa objecta externa versantur, nequit non mens *Ideas* recipere, quæ ab iis objiciuntur, & res extra existentes persentire: & quousque cogi-

cogitationes hominum eas, quas ipsi habent, *Ideas* terminatas respiciunt, nequeunt non, aliquo modo, quæ in quibusdam ex iis reperitur, convenientiam, & repugnantiam animadvertere, quæ eatenus cognitio dicenda est: & si iis, quas contemplantur ita, Ideis indita sunt nomina, necesse est, ut propositiones, quibus convenientia, aut repugnantia ista exprimitur, veræ esse deprehendantur, & proinde veritates eæ nullam dubitationem habeant. Quod enim videt quis, nequit non videre; & quod persentit, illud se persentire certus scit.

§. III.

Exemplum petitur a numeris.

ITa qui numerorum *Ideas* adeptus, *unum*, *duo*, *tria*, cum numero *senario* confert, illorum æqualitatem ignorare nequit; qui trianguli *Ideam* nactus, angulos istius, & eorum magnitudines mensurare novit, haud magis dubitat, utrum tres anguli istius æquales sint duobus rectis, quam de effato isto, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*.

A religione naturali.

Is etiam, in quo *Idea* est entis intelligentis, verum imbecillis & fragilis, facti ab Ente alio, æterno, omnipotenti, bonitate & sapientia summa prædito, & ab eo semper pendentis, non minus certo sciet, Deum ab homine colendum & obtemperandum esse, quam eum, quem intuetur, Solem lucere. Si enim duabus istis *ideis* imbutus, eas in animo secum considerare velit, non minus ipsi perspicuum erit, finitum, & ab alio sustentatum, ens illud, teneri obstrictum supremo, atque Enti infinito morem gerere, quam *tria quatuor*, & *septem* haud numero *quin-de-*

decim æquare, poſtquam rationem computaverit; nec, luce ſerena, certius ſcire poteſt, Solem eſſe exortum, quem apertis oculis intuetur. Hæ tamen veritates, utcunque claræ & perſpicuæ, eum latere poſſunt, qui in iis, prout fas eſt, contemplandis animi facultates exercere nolit.

CAP. XIV.

De Judicio.

§. I.

Cum cognitio noſtra perangusta ſit, aliquid ulterius requiritur.

CUm facultates rationis participes nobis datæ ſint, non ad rerum contemplationem tantum, verum ad noſtri etiam regimen, male comparata eſſet ratio vitæ naturæque noſtræ, ſi regula & præſcriptio vitæ a nulla re ſumenda eſſet, niſi cujus *cognitio* vera eſt & certa. Cum enim iſtiuſmodi ſcientia brevibus (ut ſuperius oſtendimur) cancellis circumſcripta ſit, neceſſe foret, eum in tenebris & errore verſari, & quo ſe verteret, in plurimis actionibus, non haberet, qui præter certum & exploratum nihil unquam ſequeretur. Qui cibos aſpernabitur, uſque dum eos ſalubres eſſe, atque negotio abſtinebit, donec illud proſpere ſucceſſurum, certo ſciverit eum ſegnitia inertiſſima perire neceſſe eſt.

§. II.

§. II.

Dubiæ hujus lucis, sive cognitionis quinam est usus?

QUare sicut Deus quædam in aperta luce posuit; sicut effecit, ut in rebus quibusdam, etsi quidem aliarum respectu paucissimis, cognitionem certam haberemus, ut delibantes ita, forsitan, quid creaturæ mente præditæ percipere possint, status melioris studio arderemus: ita in rebus plerisque non nisi lucis dubiæ, aut, si ita loqui liceat, *probabilitatis* crepuscula exhibuerit, quod isti, puto, quo hic utimur, mediocritatis & aptum ipsi visum est; ut nos haud essemus præfidentes, verum ex iis, quæ experimur quotidie, discerenus, cognitio nostra quam angustum in locum concludatur, & quam nos errori simus obnoxii; unde admoneamur oportet, quam consentaneum sit, ut quamdiu hic diversamur ævum exigamus in via ista invenienda, per quam in perfectiorem longe statum, & tranquillitatis portum tandem ingrediemur. Si enim nihil a Deo revelatum esset, at ratio ipsa doceret, quam probabile sit, Deum, post vitæ hujus curriculum, cuique retributurum juxta ea, quæ ipsi fecerint in mundi hujus theatro.

§. III.

Defectus certæ cognitionis per judicium tollitur.

DEus, ut subveniret hominum erroribus loco claræ & certæ cognitionis, quæ nequit semper comparari, iis aliam *facultatem* indidit, perspicax nempe *judicium*: per quod mens inter ideas *suas* convenientiam deprehendit aut repugnantiam; vel quod

quod idem sonat, propositionem quandam veram esse aut falsam, etiamsi haud liquet ipsi, argumentorum veritatem clare demonstrari. Mens *judicium* hoc aliquando exerceret ex necessitate, ubi argumenta demonstrativa, & certam cognitionem reperire nequit: aliquando ex socordia, aut præcipitantia, idque ubi demonstrativa & certa argumenta inveniri possunt. Homines haud sæpissime tempus adhibent, ad eam, quam scire cupiunt, *idearum* duarum convenientiam aut repugnantiam diligenter & caute examinandam; verum cum vel animos ita attendere, ut in longa progressione & argomentorum serie requiritur, vel diutius circa id morari neqaeant, hinc fit, ut vel argumenta penitus prætermittant: atque ita ex vaga & soluta hac contemplatione & e longinquo facta, nulla prorsus demonstratione adhibita, duas quasdam *Ideas* convenire, aut inter se repugnare temere statim pronunciant. Hæc animi facultas, quando circa res immediate versatur, *judicium* dicitur; quando circa veritates, quæ verbis traduntur, tunc plerumque *assentire* dicimur, aut *assensus cohibere*; & quoniam circa *assensus* aut *assensiones sustinendas* hæc animi facultas communiter versatur, hic a me tractabitur sub terminis hisce, qui minime sunt æquivoci.

§. IV.

Judicium res esse supponit, quæ non percipiuntur.

Ex dictis patet, in mente duas esse facultates, quæ circa veritatem & falsitatem versantur. *Prima* Est *Cognitio*, quæ efficit, ut duarum qua-

rundam *Idearum* convenientiam aut repugnantiam certo cognoscat (56).

Secunda Judicium, quod *Idearum* est affirmatio, aut de se invicem in mente negatio, quando illarum convenientia, aut repugnantia inter se haud certo scitur, verum *præsumitur* tantum, Atque si conjunctio hæc, aut *Idearum* sejunctio rerum ipsarum veritati respondeat, dicitur *judicium rectum*.

C A P. XV.

De Probabilitate.

§. I.

Probabilitas est verisimilis convenientia ex argumentis non certis.

SIcut Demonstratio duarum *Idearum* convenientiam, aut repugnantiam ostendit, argumentorum interventu, quæ constantem habent; ita *Probabilitas* nihil est aliud, quam verisimilitudo istiusmodi convenientiæ, aut repugnantiæ, argumentorum interventu, quorum connexio haud constans est & immutabilis, vel saltem non est ut ejusmodi percepta (*) verum quæ ita connexa sunt, ut enunciatio vera po-

(56) Si adest cognitio, ut inquit Auctor, cognoscit, nullo actu superveniente; Hinc dicere, *cognitio est* quæ efficit ... ut cognoscat, est quid involutum ac incongruum dicere, si consideratur cognitio in perceptione convenientiæ, aut repugnantiæ idearum, qua de re *V. adn. t. IV.*

(*) Sic Costr.

potius quam falsa esse videatur. Exempli gratia: Qui demonstrationem hujus veritatis, *Tres anguli trianguli sunt æquales duobus rectis*, contexit, clare intuetur certam & immutabilem æqualitatis connexionem, inter *trianguli* tres angulos, atque intermedios istos, qui adhibentur ad eorum æqualitatem probandam cum duobus rectis: atque ita per cognitionem intuitivam convenientiæ, aut repugnantiæ *Idearum* mediarum per singulos gradus progressimis, series & continuatio adeo perspicua est, ut liquido appareat, tres anguli isti quam in æqualitate convenientiam aut repugnantiam habeant cum duobus rectis. atque hinc is cognitionem certam adipiscitur. Alius vero, qui ad demostrationem istam haud animum unquam attendit, cum a viro accipit Methefeos perito, & fidei insuper perspectæ, tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis, isti *assentitur*; hoc est, pro vera eam amplexatur. Quo in casu, assensus fundamentum est rei ipsius verisimilitudo, argumento quippe nititur, quod verum esse utplrimum deprehenditur: cum vir iste, qui testimonium illud perhibet, nihil præter certum & exploratum, præsertim in rebus hujusmodi; affirmare soleat. Quare ratio hic assentiendi, est dictorum ejus, qui illud refert, testata & pervulgata fides, vel quia in hoc casu eum veracem esse credit.

§. II.

Cognitionis locum obtinet.

Cognitio nostra cum, ut ostensum est, perangusta fit, nec, quoties eam investigamus, veritatem nobis invenire liceat; hinc fit, ut in propositionibus plerisque, sive eæ ex familiari nostro colloquio, sive e ratiocinis, aut vitæ actionibus oriantur, nihil certum haberi possit: quædam tamen certitur-

titudini affines adeo sunt, ut de iis haudquaquam dubitemus; verum perinde iis assentimur, & juxta assensiones idas obfirmato animo actiones nostras dirigimus, ac si, ut in demonstrationibus fit, veritas earum perfecta & manifesta esset. At cum hic gradus fit, a confiniis usque certitudinis & demonstrationis, donec ad improbabile & veri dissimile, atque impossibilitatis vicinitates finitimas ventum tandem fuerit; atque *assensionis* insuper gradus a cognitione certa, & quae isti proxima est, plena *pervasione*, usque ad *conjecturam*, *dubitationem*, & *diffidentiam*, quoniam (ut puto) humanae cognitionis & certitudinis fines inveni proxime *varios gradus & fundamenta probabilitatis*, atque *assensus fidei* hic perscrutaturus sum.

§. III.

Efficit, ut res pro veris amplexemur ante, quam eae certo cognitae sunt.

PRobabilitas, quae verisimilitudo est, ut ex vocis notatione liquet, propositionem denotat, cui argumenta suppetunt, quibus veritas ejus probari possit. Sententia, qua mens propositionem hanc comprobat *fides* dicitur, *assensus* sive *opinio* quando nempe, probabilibus nixi argumentis, enunciationem aliquam pro vera amplectimur, cujus veritas haud certo cognita est. Atque in hoc *probabilitas* a *certitudine*, *fides* a *cognitione differt*, quod cognitio, quamcunque ejus partem respicimus, ubique sit *intuitiva* in *idea* immediata, & progressu omni clara est & manifesta connexio; in fide non item. Quod rei cuidam fidem affert, aliquid est isti extrinsecum; haud nempe cum iis, circa quas versamur, *Ideis* utrinque plane connexum, & proinde convenientiam, aut repugnantiam illarum haud manifesto ostendens.

§. IV.

§. IV.

Probabilitatis fundamenta duo; rei cujusdam convenientia cum experientia nostra, aut aliorum Testimonium.

PRobabilitas itaque, cujus minus est mederi erroribus nostris atque cognitio deficit, lucem nobis præferre, circa propositiones semper versatur, quibus ut assentiamur rationibus adducimur, etiamsi haud nobis explorata sit veritas illarum. Fundamenta istius duo sunt:

Prima. Rei cujusdam convenientia cum cognitione, observatione, & experientia nostra.

Secundo. Testimonium aliorum, quo ea confirmant, quæ observarunt atque experti sunt. In aliorum Testimonio spectari debent: 1. Numerus. 2. Probitas, & integritas. 3. Testium perspicacitas. 4. Scopus auctoris, ubi ex libro testimonium citatur. 5. Membrorum, & circumstantiarum rei relatæ inter se consensus. 6. Testimonia contraria (57).

§. V.

Omnes utrinque convenientiæ prius expendi debent, quam judicium latum fuerit.

QUoniam in probabilitate deest intuitiva ista evidentia, quæ intellectum determinat, & certam parit cognitionem, *Mens, si modo rationi congruenter agere velit*, probabilitatis gradus & fundamenta expendere, & quomodo magis minusve, aut fir-

(57) Hæc est ars critica.

firment, aut probabilem quandam propositionem infirment, considerare prius debet, quam assensum isti præbeat, aut deneget: & post accuratum examen, par est, ut mens, in ea amplexanda, aut rejicienda, magis minusve sit obfirmata, prout ex una, aut altera parte maior, minorve est vis argumentorum. Exempli gratia:

Si ipsemet hominem video glacie inambulantem; non opinio sive *probabilitas*, verum in me certa nascitur cognitio: at si alios mihi dixerit, se media hyeme quemdam vidisse in Anglia flumine congelato incedentem; hoc commune adeo & quotidianum est, ut, nisi mendacii gravis aliqua suspicio aliunde injecta foret, rei ipsius natura assensum mihi extorqueret. At si res eadem cuipiam nunciata fuerit, nato inter Tropicos, cui nihil ejusmodi auditum prius aut visum erat, ibi istius veritas referentis testimonio nititur. Et prout major minorve est numerus, aut fides testium, aut spes lucri ex mendacio; ita testimonium illud magis, minusve erit validum. Etiamsi apud hominem, qui per vitam omnem nihil istiusmodi expertus fuerit, haud fidem reperiet, licet ab alio narratum, in quo singularis probitas semper eluxerit. Id *Fœderatorum Ordinum* Legato semel accidit, qui *Siamarum* Regi, multa ex ipso curiose de *Belgio* quærenti, inter alia dixit, aquam ibi frigore nonnunquam ita indurari, nt homines in ea passim cursitent, atque ista molem *elephantis* sustinere possit. Cui Rex, *hactenus tibi, quæ mihi dixisti, monstra credidi, quoniam te integrum & honestum putavi, nunc te mentiri certius scio.*

§. VI.

§. VI.

Probabilita major est & minor.

HIsce fundamentis propositionis cojusdam *probabilitas* nititur: atque ut cognitionis nostræ conformitas, ut observatorum certitudo, ut perpetua & constans experientia, atque numerus & credibilitas testimoniorum, magis minusve cum ea conveniunt aut repugnant; ita propositio quædam in se magis minusve etsi probabilis. Fateor quidem, aliud esse, etsi non ex se verum, communiter tamen usurpatum, *probabilitatis* argumentum, *aliorum nempe opinionem* quibus hominum assensiones magis, quam alia quavis re, utplurimum reguntur, etiamsi nihil sit, a quo majus est erroris periculum; cum palam sit, homines hic in opinionibus crebro falli, atque in errore sæpius, quam veritatis & cognitionis luce versari. Et si aliorum opiniones notorum ipsis, de quibus bene sentiunt, homines sequi debent, par erit, ut omnes in *Japonia* sint Ethnici, in *Tuecarum Imperio* Mahumetani, in *Hispania* Pontificii, in *Anglia* Protestantes, & Lutherani in *Svecia*. Ar de erroneo hoc assensus principio alibi fusius erit dicendum.

CAP. XVI.

De Assensus Gradibus.

§. I.

Ut argumenta probabilitatis, ita assensus noster se habere debet.

QUibus argumentis Probabile confirmetur, superiori capite ostensum est; ut ea fundamenta sunt, quibus *assensus* nititur, ita juxta ea singulos istius gradus regere & moderari debemus: notandum vero est; quæcunque sint argumenta probababilitatis, ea mentem, quæ verum exquirere, atque rectum facere judicium cupit, eatenus tantum afficere, quatenus apparent; saltem in primo judicio aut veri inquisitione a mente facta. Fateor equidem in iis, quæ in hominibus inveterarunt, opinionibus, homines, quando eas comprobant, haud actu semper argumenta intueri, quibus inducti iis primum assensi sunt: multis enim in casibus impossibile, & in plerisque valde difficile est, ut etiam iis, in quibus memoria est tenacissima, omnia argumenta ista recordarentur. Satis est, se opinionem hanc semel accurate excussisse, atque expendisse omnia, quæ lucem aliquam quæstioni afferre possent, deinde se argumentationis summam, atque eam, quam, post accuratum examen, concepere sententiam, memoriæ tradidisse; atque in posterum meminisse, hanc esse opinionem, quam argumentis utriusque partis inter se comparatis, olim assensu isto dignam putarunt.

§. II.

§. II.

Hæc animo nequeunt semper actu obversari, quare meminisse sat est, non assensus istius rationem olim vidisse.

PRæter hoc nihil ab hominibus fieri potest in *sententiis* & judiciis suis regendis; nisi forte quis ab iis exigat, ut, quæ probabilem quandam veritatem firmant, argumenta omnia eodem ordine in memoria retinerent, quo notata primitus, aut ab iis dispofita fuere, tali modo, quæ ex simplici una quæstione oriuntur, grande nonnunquam volumen implerent: aut ab hominibus requirant necesse est, ut quam tenent opinionis uniuscujusque argumenta indies expendant; quorum utrumque impossibile est. Fieri itaque non potest, quin memoriæ in hoc casu fidamus, atque *nobismet persuadeamus, multas opiniones esse veras. quarum argumenta haud animo actu obversantur*; imo fortasse quorum in memoriam vix redire possunt. Nisi res ita se haberet, necesse foret, ut plerique omnes aut sceptici essent, aut temporis momento mutarent sententias, atque in eorum transirent opiniones, qui quæstione ista recens expensa argumenta afferunt; quæ, propter memoriam labilem, solvere statim nequeunt.

§. III.

Multa hinc incommoda, nisi judicium latum recte esset.

FAteor equidem, homines nonnunquam obstinatiores & errore exinde obfirmatores esse, quod iis quas animis prius conceperunt, opinionibus & conclusionibus, olim factis nimis adhærescant. Quod vitium non exinde oritur, quod in rebus, diligenter

prius

prius expensis, fidem habeant memoriæ, verum quia ante accuratum satis examen latum ab illis judicium est. Quis nescit, plurimos (non dico plerosque omnes) non alia de ratione putare, se de rebus multis recte judicare, quam quod in alia nunquam opinione erant, nec sensum, quem habent, ad rationis normam exegerunt? Quam absurdum hoc, arbitrari nimirum, se de rebus recte sentire, cum nihil omnino sentiant? Hinihilominus dogmata sua, quæ expensa nunquam, aut ab iis vix cogitata sunt, magis obstinate & pugnaciter, quam alii, defendunt. Quod semel compertum est, id se ita habere, certo scimus: nec, quæ dubium illud faciant aut veritatem ejus labefactent, argumenta ulla occulte latere possunt. In re autem probabili, pro certo scire haud semper possumus, nobis singularia omnia observari, quæ ad quæstionem istam quovis modo pertineat; nec esse argumentum aliquod latens, & inauditum adhuc, quod, cum allatis omnibus validius sit, aliter nos sentire cogat. Quisnam ferme est patiens adeo, aut otiosus a negotio, ut, quæ opiniones ejus firmant argumenta, omnia accurate adeo colligat, ut dicere possit, se clare omnia intueri, nec quippiam contra afferri posse? Fieri tamen nequit, quin hanc, vel illam opinionem amplectamur. Res i æ quæ vitæ regimen spectant, quæque maximi sunt momenti, moram ferre nequeunt: illæ enim utplurimum pendent e lato a nobis judicio, ubi cognitionem certam afsequi nequimus, verum secundum partem aliquam decernere necessum habemus.

§. IV.

§. IV.

Hinc discimus, quam sit consentaneum, nos charitate mutua nosmet amplecti.

QUoniam itaque fieri nequit, quin plurimi, quidni dixerim omnes, *opiniones* sequantur, de quarum veritate haud certo iis constare potest, atque ii levitatis & inscitiæ merito arguendi sunt, qui statim, argumento objecto quod nequeunt diluere, a priori sententia decedunt: æquum mihi videtur, ut homines pacem & concordiam tueantur, ut se invicem humaniter ferant, & in ea, qua sunt, *sententiarum disjunctiones, amicitiæ conjuncti* maneant: præsertim cum non rogandus sit quispiam, ut se ad auctoritatem conferens, atque alterius voluntati obsequens, repudiata sua, sententiam ipsius amplexaretur. Hoc a mente humana fieri nequit, etsi enim sæpius forsitan erret, impossibile tamen est, ut aliam, quam rationem, ducem sequeretur, aut in alterius dictata temere juraret. Si is, quem idem nobiscum sentire cupimus, ex eorum numero sit, qui abstinet ab omni assensu, usque dum rem prius expenderint, permittendum est, ut is per otium rem totam percurrat, atque eorum, quæ exciderunt animo, in memoriam rediens, particulatim omnia & accurate excutiat, ut videat ita, quæ potior sit sententia: & si in argumentis nostris haud eam putat vim inesse, et in iis examinandis operæ tantum impenderet, haud ei nos propterea succensere debemus, cum simili in casu dogmata, ab aliis nobis injuncta, detrectare soleamus. Et si is ex eorum sit hæresi, qui aliorum opinionibus nituntur, nequicquam speramus, ut a dogmatibus, recedat, quæ vetusta adeo, atque animo inusta sunt, ut ea haud aliter amplexetur, quam si per se clara, & a Deo menti ingenita essent. Peræquum est, ut, nos ignorantiæ nostræ mutuo miserti,

istis,

istis, quum fieri potest, mollibus præceptis medeamur, nec in alios ita statim excandescamus, aut eorum inflexibilem insectemur æstimationem, quod nolint suas repudiare, & in nostras venire, sententias, cum fortasse nostras haud minus culpanda sit pervicacia, quod idem cum ipsis sentire nolimus. Ubinam enim gentium is reperiendus est, cui omnium, quæ tenet, veritas, aut quæ improbat, dogmatum falsitas comperta sit; quisve dicere ausit, se suas, aut aliorum opiniones omnes penitus examinasse? Necessitas ista, qua, in fluxo hoc rerum statu & errore, quo versamur, haud certo cognitis assensum præbere constringimur, nos admonere debet; nostri potius officii esse, veritatem diligenter investigare, quam ab aliis exigere, ut in verba nostra jurent. Saltem ii, a quibus dogmata sua haud accuratissime excussa sunt, fateri debent, quam iniquum sit, ut, quæ tenenda sint, aliis præscriberent. Ad illos potius jure pertinet, quibus, post examen accuratum, omnis dubitatio sublata est, quæ tueri debeant, dogmata aliis dictare: hi vero numero pauci adeo sunt, &, cur dogmatici forent, rationem invenire tam difficile esse vident, ut ab iis nihil insolens; aut imperiosum sit metuendum: nec dubito; quin homines, si majori perspicacia essent, dogmata sua aliis parcius imponerent.

§. V.

Probabilitas aut circa factum versatur, aut circa speculationem.

Ut vero ad assensus fundamenta, & varios istius gradus redeamus, notandum est, *duorum generum* propositiones esse, quibus *res probabiles* materiam suppeditant; aut enim circa ens aliquod particulare, sive factum versantur, cujus testimonium per-

perhiberi potest ; aut circa res, quæ, quoniam a sensibus remotæ sunt, haud testimonio locum relinquunt.

§. VI.

Experimenta a nobis, atque aliis constanter facta opinionem generant, a certa cognitione parum distantem.

QUod ad *primum* attinet, *particulare* nempe *factum quodvis*, observamus.

Primo, Ubi particularis res aliqua, iis congrua, quæ a nobismet aut aliis, simili in casu, constanter animadversa sunt, omium testimoniis confirmatur, a quibus tractata est, eam perinde recipimus, ac si certo cognita ac plane dumonstrata esset. Verbi gratia, si Angli omnes, quoties de re ista sermo incideret, affirmarent, flumina omnia hyeme superiori frigore concreta extitisse, aut æstate hirundines ibi comparuisse, ea, puto, haud magis dubitationem haberent, quam si diceret quis quatuor & septem undecim efficere. *Primus* itaque & *altissimus gradus probabilitatis* est. ubi omnium consensus, omni ætate, quantum istæ sciri potest, iis respondens; quæ in consimili casu semper a nobis observata sunt, rei istius veritatem firmat, cui a viris testimonium perhibetur : hujusmodi sunt certæ temperationes & proprietates corporum, atque effectus isti, qui ex causis naturalibus in dies producuntur. Hoc argumentum dicimus sumtum ex rerum ipsarum natura. Quod enim semper eodem modo evenire nostra & aliorum constans observatio invenit, id ex causa regulari & constanti manare, etiamsi nobis incognita, quidni statuamus? Cum dicimus, ignem homines calefacere, plumbum liquefacere, ligno aut carboni alium

alium tribuere colorem aut partium contextum. Ferrum aquæ immissum subsidere ad imum, argento autem vivo innatare; has atque alias hujusmodi propositiones circa particularia, quæ obversantur, quoniam iis respondent, quæ ipsimet experimur, atque eodem modo evenire constanter deprehenduntur, pro veris semper amplexamur. Hæc, quæ *probabilia* tantum sunt, ad *cognitionem certam* prope adeo accedunt, ut nos ad assentiendum iis non minus alliciant, quam si clare demonstrata essent: & quæ hinc nascitur opinio a *scientia* parum distat.

§. VII.

Testimonio assentimur, quando illud cum iis congruit, quæ experti sumus.

SEcundus *Gradus probabilitatis* est, quando ex iis, quæ ipsemet expertus sum, atque aliorum omnium consensu, rem ita plerumque se habere comperio; atque huic, quod particulatim dicitur, multos fide dignos testimonium perhibere; verbi gratia, ex Historiarum monumentis, & diuturna observatione didici, plerosque omnes suas ipsorum Reipublicæ commoda præferri; quare si Historici omnes, qui de *Tiberio* scripsere, eum isto fuisse ingenio scriptis tradidere, id probabile videri debet. Quo in casu rei quando assentimur, plena istius *& firma* nobis *persuasio* innascitur.

§. VIII.

Cordatorum testimonio assentimur, quando non pugnantia loquuntur.

TErtio, in rebus, quae fortuito & indifferenter eveniunt, ut nempe quando dicimus, aviculam hac vel illa coeli plaga volare, coelum ad dextrum aut laevum latus tonare, &c. ubi plurimi fide digni rei cuidam testimonium dant, ibi assensum cohibere nequimus. Ita verbi gratia cum dicimus, urbem esse in *Italia*, nomine *Romam*: Lapsis jam mille septingentis circiter annis quendam ibi vixisse, quem *Julium Caesarem* vocabant, eum Imperatorem fuisse, & *Pmopejum* praelio superasse. Quoniam haec, etiamsi in rerum ipsarum natura nihil sit, quod dictis fidem conciliet adimatve, a viris cordatis Historiarum monumentis mandata sunt, nec quippiam contra ab ullo unquam scriptore allatum sit, nobis haud magis dubia esse possunt, quam utrum socii nostri extiterint, necne, aut ea fecerint, quae, nobis inspicientibus, ab iis facta sunt.

§. IX.

Testimonii fides vacillat, quando experientiae contradicit.

QUae hactenus diximus, intellectu facilia sunt. Probabile, hisce argumentis innixum, perspicuum adeo est, ut judicium facile determinet, nec magis liberum nobis relinquat, narratis praebere, aut denegare assensum, quam, post demonstrationem elicere, utrum rem demonstratam scire, aut ignorere velimus. Difficultas est, quando testimonia communi experientiae contradicunt, & quae ab historicis aut testibus perhibentur, cum se invicem aut

iis

iis pugnant, quæ in naturali rerum cursu eveniunt, hic diligente attentione & solertia opus est, ut judicemus recte, & ad evidentiam & rerum probabilem *assensum* nostrum accommodemus, qui affirmatior quidem, aut debilior est, prout duo ista credibilitatis fundamenta; communis nempe observatio in causis consimilibus & testimonia tunc allata istum magis minusve firmant. Atque hic contrarium observationum, circumstantiarum, & rumorum veritas tanta est, & qui ista referunt ingenio, moribus, studiis, & consiliis tantum inter se discrepant, ut certas assensus regulas tradere impossibile sit. Hoc tantummodo generatim dicendum est, argumenta utrinque allata, prout in iis diligenter expensis major minorve vis inesse deprehenditur, in nobis diversum istum assensum generare; quem dicimus; *fidem*, *conjecturam*, *dubitationem*, *hæsitationem*, *diffidentiam*, &c.

§. X.

Testimonia traditionalia, quo a primaria veritate remotiora, eo minorem fidem merentur.

HÆc ad *Assensum* in rebus pertinent, in quibus aliorum testimonio nitimur; atque hic, puto, haud absurda erit regulæ mentio, in nostrati jure municipali usurpatæ, quæ syngraphæ, sive diplomatis cujusdam in tabulas publicas relati apographum, non vero Apographi istius exemplum. testimonii loco in foro recipit. Hoc a nemine, quod sciam, unquam improbatum est, cum sit prudentiæ isti & cautioni consentaneum, qua uti debemus in veritatum inquisitione, e quibus maxima rerum momenta pendent. Ex usu hoc forensi, si ad controversias circa rectum & iniquum dirimendas adhibendus sit, notare licet, testimonium quodvis, quo a primaria veri-

veritate remotius, eo minorem vim habere: Rem ipsam sive existentiam ejus *primariam* voco *veritatem*. Si quis famæ integerrimæ, se eam comperisse, testificabitur, amplissimum erit testimonium, si alius vero, cujus non minus spectata est fides, se id ab eo excepisse dixerit, testimonium illud minus erit validum; & quidem multo minus, si tertius affirmaverit, se rem didicisse ab eo, qui eam auditione ab altero accepit. Hinc patet, *in veritatibus, quas per traditionem accipimus, proximum quemque, eas alteri referentem, testimonii istius vim imminuere:* & quo plures ii sunt, per quos ad alios successive & per manus quasi perferuntur, eo magis fidem istarum labefactari. Hoc obiter hic notandum putavi, quoniam nonnulli aliter mihi sentire videntur, atque opinionem quamvis, quo vetustior est, eo fide digniorem putant; & quod olim ante mille annos viro sapienti, æquali ejus, qui fabulam istam credulam apud plebem primus vulgavit, haud probabile videretur, sine dubitatione quavis nunc propterea tenendum esse arbitrantur, quia plurimi per tot secula isti assensi sunt. Hinc fit, ut propositiones multæ, primo ipsarum ortu plane falsæ aut dubiæ valde, inversa probabilitatis regula, pro veritatibus manifestis habeantur. Et quæ in ore illorum, a quibus initio prolatæ erant, haud fidem mereri censebantur, vetustate adeo invalescunt, ut extra controversiam positæ videantur.

§. XI.

Historia tamen permagni est usus.

QUæ hic a me dicta sunt, nolim quis pejorem in partem interpretetur, quasi *Historiæ* fidem atque usum nihil facturus essem: hinc omnem, qua sæpissime utitur, lucem mutuamur, hinc fru-

ctuo-

ctuosas multas, nec aliunde notas veritates clare percipimus. Nihil antiquitatis monumentis pluris æstimandum puto, utinam ea plura essent, & mendaciis minus contaminata. Hoc autem veritas ipsa me dicere cogit, nullam *opinionem probabilem* ultra primarium ejus fontem pertingere posse. Quod per unicum tantum testem pervulgatum est, fidem istius, spectata sit, sive corrupta, penes testimonium illud in posterum semper consistere necesse est; & licet ab innumeris postea Scriptoribus usurpetur, exinde tamen fides istius convelli magis, quam firmari putanda est. Pravi affectus, emolumenta sive præmia, incuria, ignorantia atque alia multa efficere possunt, ut, qui autorem citat, sensum istius haud recte nobis tradat. Qui in iis examinandis, quæ excerpta sunt ex scriptoribus, minimum versatus fuerit, ignorare nequit, quam parum iis fides sit habenda, qui autores citant, quorum opera interiere, atque iis multo minus, qui ad sententias suas firmandas scriptorum testimonio utuntur, à quibus ista ab aliis prius excerpta erant, Hoc certo certius est, quod seculo una haud notum satis & testatum erat, illud, temporis progressu, repetitum sæpius, haud majorem fidem acquirere; verum quo longius a fonte manat, eo invalidus fieri, & in ore cujusvis, proxime illud usurpantis, minorem semper vim habere.

§. XII.

Rerum, sub sensum minime cadentium, probabilitas ab analogia colligitur.

PRobabilia hactenus memorata, ad ea tantum spectant, quæ facta sunt, & quæ observationi nostræ objiciuntur testesque recipiunt. Superest adhuc illorum genus aliud, circa quæ, ut homines in opinionum varietate magna positi sunt, ita alio atque alio

alio modo iis assentiuntur, etiamsi *res* ejusmodi sint, *ut sub sensum minime cadentibus*, *testimonium iis perhiberi nequeat*. Hujusmodi sunt: 1. Existentia, natura, & operationes extra nos existentium entium finitorum immaterialium; Spirituum nempe, Angelorum, Dæmonum, *&c.* aut existentia entium materialium, quæ propter nimiam tenuitatem, aut a nobis distantiam haud in sensus incurrunt; ita nimirum nescimus, utrum in planetis, aut ingentis hujus universi plagis remotissimis, plantæ, animalia, aut entia intellectualia repetiantur, nec ne. 2. Quæ modum operandi spectant in plerisque omnibus naturæ opificiis; in quibus etiamsi effectus sensibiles cernimus, nos tamen causæ latent & modus producendi. Perspicuum est, animalia generari, nutriri, semet de loco in locum movere, magnetem ferrum trahere; partes candelæ successive liquefactas verti in flammam, atque calorem simul & lucem nobis impertire. Hos omnes atque similes effectus actu videmus, causas tamen operantes, aut quomodo operentur, non nisi probabili tantum conjectura assequimur. Quoniam enim hæc sensuum scrutinio haud subjecta sunt, de iis testimonium quoddam reddere nequeunt, quare magis minusve probabilia videntur, quatenus cum veritatibus prius receptis, aut cum pristina nostra cognitione aut observatione majorem habent aut minorem cognationem. In hac re ad *analogiam* tantum recurrendum est, ab hac unice probabilitatis fundamenta desumenda sunt. Hoc modo observantes ex duorum corporum in se vehementi collisione sola, *calorem*, & sæpissime *ignem* ipsum produci, quidni putemus, quod calorem & ignem vocamus, fieri ex concitatissima quadam agitatione insensibilium partium minutarum materiæ istius accensæ; observantes etiam, corporum pellucidorum refractiones diversas diversorum colorum varias species in oculis nostris producere; similiter

porum plurimum, serici nimirum viliosi, aut undulati, *&c.* situm aut positum diversum idem efficere probabile putamus, colorem & fulgorem corporum, in iis nihil aliud esse, quam minutarum & partium insensibilium situm & refractionem diversam. Similiter animadvertentes, universis hujus partes omnes, quas nos contemplamur, sibi invicem, sine ullo interventienti insigni & perceptibili hiatu in magna ista rerum veritate, ita connexas esse, ut, ubi a se mutuo disterminentur, reperire difficillimum sit, credamus consentaneum est, res per faciles istiusmodi gradus sensim ad alteriorem perfectionem adscendere. Statuere difficile est, ubi sensibile & rationale incipiat, atque insensibile desinat, & quis perspicax adeo est, ut, quæ entium animatorum, quæ inanimatorum species sit infima, definire possit? Entia, quantum nobis observare licet, minuuntur & incrementis angescunt, quantitatis ritu in cono regulari, ubi licet insigne sit discrimen inter magnitudinem diametri longe remoti, discrimen vero inter summum & infimum, ubi se mutuo contingunt, percipi vix potest. Inter homines & animalia quædam mira est differentia: at si nominum quorundam intelligentia cum ea comparetur, quæ in bestiis quibusdam reperitur, uter antecellat alterum, statuere haud erit. Quoniam itaque, ut dixi, hoc modo ad ea per faciles descenditur, quæ in corpore universi infra hominem posita sunt, per Regulam analogiæ conjectare licet, in iis, quæ supra nos sunt, & extra observationum nostrarum cancellos, rem similiter se habere, atque veritas esse entium intellectualium classes, quæ perfectione nobis diverso modo antecellunt, atque versus summi *creatoris* perfectionem infinitam sursum per gradus faciles tendunt, quoniam singuli altiores a proximo quoque haud longe distant. Hujus probabilitatis, qua ad experimenta rationalia & *hypoteses* via optime aperitur, usus & vis

ma-

magna est: rerum enim analogiam contemplantes, in vera sæpissime, & inventa utilia incidimus, quæ nos alioquin latuissent.

§. XIII.

Quodam in casu haud testimonium propterea infirmatur, quod experientiæ contradicit,

Etiamsi communis experientiæ, & constantis rerum naturalium ordinis, vis magna sit, eaque assensiones nostras jure optimo moderentur; attamen quodam in casu, post clarum testimonium, haud assensum propterea cohibere debemus, quod, quæ narrantur, monstra esse videntur. Ubi enim eventa istiusmodi, quæ supra sunt vires naturæ, ad scopum accomodata sunt, ab eo propositam, cujus in manu est, naturæ ordinem immutare, ibi ad fidem conciliandam aptiora esse possunt, quo recentiora sunt & a comuni observatione magis aliena. De *miraculis* hic loquor quod quando testimonium rite perhibetur, non tantummodo ipsamet fidem reperiunt, verum eam aliis conciliant veritatibus, quæ istiusmodi confirmatione opus habent.

§. XIV.

Testimonium Divinum maximam parit certitudinem.

Præter eas hactenus a me memorias unum est propositionum genus, quæ statim post testimonium allatum, assensus nostri gradum altissimum vendicat, sive res proposita communi nostræ experientiæ, & naturali rerum ordini respondeat, nec ne. Ratio est,

quoniam *Dei* testimonio confirmatur, qui nec alios ludere, nec dolis ipse decipi potest. Hujus certitudo atque evidentia adeo clara est, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Hoc peculiari nomine *Revelationem* atque assensum nostrum *fidem* vocamus, quæ mentes nostras determinat, & hæsitationem omnem in nobis non minus tollit, quam clara cognitio nostra; nec magis dubitari potest, utrum nosmet existimamus, quam, quod a *Deo* revelatum est; verum sit, nec ne. At eum dicimus, *fidem* certum esse principium & fundamentum assensus, atque omni dubitatione majus, certo sciendum est, *Revelationem* esse divinam, & nos recte eam intelligere; alioquin rebus fidem adhibentes, non a *Deo* revelatis, nos in *enthusiasmum* atque illorum errorem præcipitari necesse est, qui falsis utuntur principiis. Quare in hoc casu, eatenus tantum revelationi assentiri possumus, quatenus ea testimoniis confirmatur, atque nos scimus, hunc esse verborum sensum, in quibus tradita est. Si fides revelationis, aut hunc verum esse sensum istius, probabilibus tantum argumentis nititur, assensus noster affirmatior erit aut debilior, prout allata argumenta magis minusve probabilia sunt. De fide vero, & quatenus ea aliis præcellentior sit argumentis, quibus ad veritatem adducimur, fusius mox, ubi suo loco dicendum erit de ea, prout rationi contradistinguitur: etiamsi revera nihil sit, quam assensus ab altissima ratione manans.

CAP.

CAP. XVII.

Ratio.

§. I.

Vox Ratio varie sumitur.

VOx *Ratio*, *in sermone Latino*, *varias habet significationes*: nonnunquam enim pro veris & claris principiis sumitur: nonnunquam pro iis, quæ deducuntur a principiis istis: nonnunquam pro causa, præsertim facili finali: A me vero hic sensu usurpatur, ab his omnibus diverso; prout nempe facultatem istam denotat, qua homines a bestiis distinguuntur, atque iis longe antecellunt (*).

§. II.

Ratiocinatio in quonam consistit?

SI cognitio in genere, ut supra ostensum est, posita sit in perceptione convenientiæ, aut repugnantiæ *idearum* nostrarum; atque nos cognitionem existentiæ rerum omnium extra nos (*Dei* tantum excepta, cujus existentiam unusquisque per suam ipsius existentiam scire & demonstrare potest) per sensus tantum assequamur; alterius cujusvis facultatis exercitio externum præter sensuum & perceptionem internam quinam locus est relictus? Ratio quem usum habet? permagnum quidem, tam ad cognitionem nostram augendam, quam ad assensum regen-

 dum:

(*) *Vid. adn.* 28. *tom.* I.

dum; in scientia enim & opinione locum habet, ad alias omnes facultates intellectuales necessario requiritur, & quidem illarum duas, *sagacitatem* nempe & *illationem*, in se continet. Unius ope invenit, alterius disponit ita *Ideas* intermedias, ut facile deprehendat, quæ sit connexio inter vinculi partes, quo externa duo inter se colligata sunt; atque ita quærendo veritatem investiget: hoc nos *illationem* dicimus, quæ posita est in idearum tantum connexione percipienda, per continuationem & seriem argumentationis, unde mens duarum quarundam *Idearum* convenientiam invenit, aut repugnantiam, ut in demonstratione, quæ scientiam parit; aut illarum probabilem istam connexionem, quæ efficit, ut rei assensum præbeant eumve suspensum teneant, ut in opinione. Sensus, & intuitio perangustos intra terminos circumscripta sunt. Cognitionis nostræ partem longe maximam per *Ideas* intermedias acquirimus. & res ab aliis inferendo: atque in iis casibus, in quibus assensum probabilem cognitionis loco usurpare necessum habemus, & propositiones pro veris sumere, de quarum veritate haud constat, necesse est, ut perscrutemur diligenter, & probabilitatis illarum fundamenta inter se comparemus. In utroque casu, facultatem istam, quæ media invenit, iisque recte utitur ad certitudinem in una & in altera probabilitatem inveniendum, *Rationem* appellamus, Ut enim *ratio* necessariam, & non dubiam *Idearum* sive mediorum omnium inter se connexionem videt, singulosque demonstrationis cujusvis progressus, quæ cognitionem parit: ita probabilem etiam connexionem cernit *idearum*, sive argumentorum omnium inter se, in omni argumentationis parte, quam assensum mereri putat. Hic facultatis istius, quam rationem dicimus, gradus est infimus; ubi enim mens haud probabilem istam connexionem intuetur; ubi non videt, utrum istiusmodi quædam sit connexio; necne, ibi

ori-

opiniones hominum non ex prævio mentis judicio, sive ratione nascuntur; verum temere & fortuito eveniunt, atque manant e mente huc illuc, sine electione, aut directione quavis fluctuante.

§. III.

In Ratione quatuor spectandi sunt gradus.

QUare in *Ratione quatuor* spectandi sunt *gradus*; Primus & altissimus est, argumenta invenire; Secundus, ordine ea ita disponere, ut connexio & vix eorum facile clareque cernantur; Tertius connexionem eorum percipere; Quartus, unum ex altero recte inserre. Omnes isti gradus in demonstratione quavis Mathematica cernuntur: aliud enim est partium singularum connexionem percipere in demonstratione, facta ab alio; aliud videre, quomodo conclusio pendeat ex omnibus partibus; Tertium, ut quis demonstrationem clare & concinne ipsemet contexat: & ab hisce omnibus diversum, primo invenisse intermedias istas *Ideas* sive argumenta, e quibus conficitur.

§. IV.

Syllogismus an præcipuum est rationis instrumentum.

CIrca Rationem aliud adhuc est, quod considerari velim; *utrum* nempe *Syllogismus*, prout vulgo putatur, *genuinum ejus instrumentum sit, & ad facultatis hujus usus accomodatissimum*. Rationes dubitandi hæ sunt:

Primo. Quia Syllogismus rationi nostræ nisi in una ex partibus, prius memoratis, subvenit. Argumentorum enim connexionem in singulari tantum exem-

exemplo ostendit: in hoc vero haud magni est usus, cum mens, sine istius adminiculo, connexionem istam haud difficilius, imo, fortasse, melius cernere possit.

Si ad ea sedulo attenderimus, quæ in mente agitantur, perspicuum erit, nos optime tunc ratiocinari, quando argumenta contemplamur, prout inter se connexa sunt, sine ullius regulæ aut syllogismi subsidio: & proinde scimus, multos inveniri, qui acute & recte disputant, etiamsi syllogismum struere nequeunt. Si quis *Asiæ* aut *Americæ* gentes quasdam adierit, plures ibi reperiet non minori acumine in differendo, quam ipsemet est, etiamsi iis haud auditus unquam est syllogismus: nec puto, quempiam, cum intus, & apud semet ipse ratiocinatur, ad formam syllogisticam recurrere. Fateor equidem, syllogismum haud incommode nonnunquam adhiberi ad sophisma detegendum, sub pigmentis Rhetoricis occultatum; ut, quod ingenii & sermonis elegantioris involutum & tectum est, deforme ita & absurdum aperiatur. Argumentationis vero istius infirmæ fallaciam, per formam artificialem iis tantummodo ostendit, qui in *modo* & *figura* syllogistica versatissimi sunt, & qui varios modos, quibus tres propositiones inter se disponi possunt, accurate adeo examinarunt, ut certo sciant, quænam illarum recte, quenam secus concludant, atque undenam illud fit. Omnes ii, qui syllogismos eo usque spectarunt, ut rationem videant, cur in tribus propositionibus, in una forma simul junctis, conclusio sit vera, non vero in alia, quæ ex præmissis conclusio sequatur in *modis* & *figuris*, vulgo probatis, certo sciunt: qui vero in formis istis non adeo versati sunt, haud per syllogismum sciunt, conclusionem certe sequi ex præmissis, illud ita habere credunt tantum, doctorum autoritate, atque argumentandi formulis istis præfidentes; hæc autem fides, non certitudo est. Quod

si qui

si qui syllogismos contexere possunt, numero paucissimi sunt, si ad eos comparentur; qui syllogisari nequeunt, & si in magna ista eorum paucitate, qui Logicen didicere, oon nisi paucissimi sunt, qui aliud quid agant, quam ut tantum credant, syllogismos in probatis vulgo *modis* & *figuris* recte concludere, haudquaquam illud certo scientes: si sumendus est syllogismus pro unico argumentationis instrumento atque adjumento ad cognitionem assequendam, hinc sequetur, ante *Aristotilem* neminem fuisse, & post inventam artem syllogisandi, haud unum e decies mille, qui per rationem quippiam noverit.

Non vero Deus in hominem parcus adeo fuerit, ut eum Animal tantum bipes effecerit, atque *Aristoteli* permiserit, ut rationalem eum redderet; hoc est paucos tantummodo istos, qui eo magistro didicere syllogismi fundamenta ita expendere, ut videant, e modis; plusquam sexaginta, quibus tres propositiones inter se jungi possunt, non nisi quatuordecim circiter esse, in quibus certo quis scire possit, conclosionem esse rectam, atque undenam sit, quod in paucis istis recta conclusio recte colligatur, in aliis non item: Deus in homines longe erat benignior. Mentem ipsis indidit ad argumentandum satis instructam, etiamsi in arte syllogistica non instituti fuerint. Haud per regulas hasce mens differere didicit, facultas ipsi a natura insita est ad percipiendum, quam *Ideæ* suæ inter se convenientiam habeant aut repugnantiam, easque recte disponere potest sine perplexis istis repetitionibus.

Non hæc perinde loquor, quasi detracturus quippiam essem de fama *Aristotilis*, quem inter veteres principem ferme locum tenere puto: cujus eruditionem multiplicem, acumen ingenii, atque judicii & animi robur pauci æquarunt: quique in formis hisce syllogisticis inveniendis, in quibus conclusio a præmissis recte infertur, plurimum contra eos profecit, quos

quos dogmata sua mordicus tenere, atque omnia negare haud puditum est. Atque lubens confiteor, veram argumentationem omnem revocari posse ad syllogismi formam aliquam ab eo traditam Bona tamen ipsius venia liceat mihi dicere, haud eas pro unicis aut optimis quidem modis ratiocinandi ob iis usurpandas esse, qui verum invenire, &, quam possunt optime, ratione uti volunt ad cognitionem consequendam. Et quidem in formis quibusdam recte concludi, in aliis non, perspicuum est, ipsum invenisse non per formas ipsas, verum per cognoscendi modum primævum, manifestam nempe Idearum convenientiam. Si quis Generosæ virgini rusticæ dixerit, ventum ab australi plaga flare, cœlum esse obnubilum, & pluiturum cito, sciet illa statim, quam parum sibi tutum sit, quæ vires a febri vix recuperavit, ea cœli intempestate, vestitæ leviter, foras prodire. Illa horum omnium, *Noti* nempe, *nubium*, *pluviæ*, *frigoris contracti*, *recidivæ fabris*, & *periculi mortis* probabilem connexionem clare statim cernit, nec necessum habet, ea artificialibus & perplexis istis plurimum syllogismorum impedire & implicare vinculis, negotium menti facessentibus, quæ sine illarum adminiculo clarius ea & celerius multo perspicit; & quidem probabilitas ista, quam facile in rebus ista cernit, in hoc naturali suo ordine constitutis, ei penitus foret obscura & ignota, si argumentum hoc erudite, nec sine *modis* & *figuris* syllogisticis tractaretur. Iis enim perturbatur sæpe rerum connexio: atque palam puto, est omnibus, nos in demonstrationibus Methematicis, cognitionem dilucidius & compendiosius absque syllogismo attingere. *Illatio* præcipua facultatis rationalis operatio esse perhibetur, nec immerito quidem, quando ea recte fit, mens vero, vel quia ad rem cognitionem avido studio nititur, vel quia haustas semel opiniones fovere velit; præpropero nimiis studio unum ab alio inferre fo-

solet, antequam *Idearum* connexionem cernit, quibus extrema colliganda sunt.

Inferre nihil est aliud, quam, positæ propositionis unius ope pro vera quæ sumitur, aliam non minus veram colligere, hoc est, cernere sive supponere similem connexionem duarum *Idearum* propositionis Villatæ. Verbi gratia, sit hæc propositio posita, *Homines in alia vita punientur*, altera ab ea illata sit *Ergo homines, semetipsos determinare possunt*. Hic quæstio est, utrum illatio hæc recte a mente sit facta, nec ne. Si mens Ideas intermedias invenerit, & quomodo etiam ordine suo inter se connexæ sint, tunc conclusio recte infertur; at si *ideas* intermedias haut ita contemplata est, non tam conclusit recte, & congruenter rationi, quam ostendit, se magnopere cupere, ut illud verum haberetur. Ac neutro in casu *ideæ* istæ, aut illarum connexio quod syllogismum primo innotuit, eas enim inveniri & illarum connexionem percipi prius necesse est, quam ex iis syllogismus confici debeat: nisi quis dixerit, *ideam* quamvis, haud spectata illius convenientia, cum duabus reliquis, quarum connexio per eam demonstranda est, in syllogismo recte usurpari posse *pro medio termine* ad quæstionem quamvis probandam. Hoc autem nemo dicet, quoniam propter convenientiam *ideæ* intermediæ cum extremis, externa inter se convenire dicuntur, omnem itaque ideam intermediam cum extremis, quarum media est, ubique plane connexam esse necesse est, aliter nulla conclusio colligetur, argumenti enim compage & nexu soluto, illud omnem statim vim suam amittit, & proinde nihil recte inferri potest. In exemplo supra allato, annon vim illationis & rationem ejus inde discimus; quod intermediarum omnium *idearum*, a quibus conclusio infertur; connexionem simul intuemur? Exempli gratia, ordo idearum ita se habet: *Homines punientur . . . Deus ultor . . . justum suppli-*

plicium . . . Qui puniuntur, rei . . . possunt secus agere . . . liberum arbitrium . . . voluntatem suam ipsimet determinant. Ex hac *Idearum* serie, inter se plane connexarum, singulis nempe *ideis* intermediis cum iis utrinque convenientibus, quarum medio positæ sunt, plane ostenditur, *ideas* istas *hominum*, & *sui determinationis* connexas esse: aut si mavis, propositionem hanc *homines semetipsos determinare possunt*, ex hac colligi, *quod in alia vita punientur*. Hic enim cum mens connexionem videat inter *Ideam pœnæ*, *quam homines in alia vita luituri sunt*, atque *Dei punitionis*, inter *Deum punientem*, & *reatum*, & *potestatem secus agendi sive liberum arbitrium*, atque *liberum arbitrium*, inter & *sui determinationem*, videt per consequens connexionem inter *homines* & *sui determinationem*.

Rogo itaque, annon extremorum connexio in simplici hac & naturali dispositione clarius cernatur, quam in quinque aut sex syllogismorum repetitione & confusione perplexa? Ignoscatur mihi, quod utar hic vocabulo *conclusionis*, usque dum aliquis ex *Ideis* istis syllogismos totidem confecerit, atque dixerit, eas sub longa verborum ambage & formis syllogisticis minus confusas, & clarius esse connexas, quam in facili isto & naturali ordine quo hic traduntur. Id vero dici nequit. Prius enim sciendum est, quomodo *ideæ* sunt connexæ, quam ex iis syllogismus struatur. Atque ubi omnes isti syllogismi absoluti fuerint, nec qui Logicem callent, aut ejus imperiti sunt, vim argumentationis, hoc est, extremorum connexionem melius & rectius perspicient. Etenim ii, qui non sunt professione Logici, veras syllogismi formas perinde ignorant, ac earum fundamenta, neque possunt cognoscere, sintne syllogismi regulis congruentes, nec ne, in *Modis* & *Figuris*, ubi rite concluditur; & ita nullius ab his Formis accipiunt adjumentum, secundum quas ideæ collocantur; & alias na-

naturali ordine, quo mens de idearum connexione relativa judicium ferre poterat, disturbato per has Formas syllogisticas, accidit, ut consequentia multo sit incertior, quam sine earum adjumento. Quod autem ad ipsos Logicæ peritos attinet, illi connexionem, quam quælibet Idea intermedia cum iis, inter quas collocatur, habet, (unde omnis consequentiæ vis proficiscitur & dependet), æque prius animadvertuntur, quam confecto syllogismo; aut omnino eam non percipiunt. Syllogismus enim neque ostendit, nec connexionem firmat duarum quarumvis *idearum*, immediate junctarum; per eam tantum, quæ in iis cernitur, connexionem ostendit, quomodo extrema inter se connexa sint; quam vero connexionem medium habeat cum extremo alterutro in syllogismo isto, nullus syllogismus ostendere potest. Mens sola est, quæ percipit, aut percipere potest, has ideas, in ista *juxtapositionis* specie ita collocatas, idque propria intuitione, ad quam prorsus mihi lucis, aut auxilii confert forma syllogistica, utpote quæ tantummodo ostendit; duo *extrema* inter se convenire, quando *idea* intermedia cum iis convenit, quibus utrinque conjungitur; quare immediata connexio *ideæ* cujusque cum ea, cui utrinque conjungitur, in qua vis omnis argumentationis vertitur, non minus perspicua est ante, quam post factum syllogismum, alioquin haudquaquam ille perspecta foret, a quo syllogismus efficitur. Hoc, ut superius notatum est, mens ipsa percipit *ideas*, quando intuetur juxta se invicem positas, quod fit, quando in propositione simul junguntur, sive propositionibus ista *Major* sit, sive *Minor* syllogismi, nec ne.

Quæret aliquis; quem igitur usum habent syllogismi? Respondeo, præcipuus illorum usus est in Scholis, ubi homines haud pudet *Idearum*, quæ inter se plane conveniunt convenientiam negare; vel extra Scho-

Scholas apud eos, qui dicere ibi sine rubore aliquo *idearum* connexionem negare, quæ ipsis perspicua est. Apud virum autem integrum & honestum, cui nihil aliud est propositum, quam verum investigare, haud istiusmodi forma aliqua opus est ad assensum ejus eliciendum: Rei veritas aperta magis & perspicua est, quando *ideæ* simplici & naturali ordine disponuntur. Hinc est, quod Homines verum quando exquirunt, haud in animo suo syllogismis utantur, ut sibimet ipsis aut aliis de istius, quod inquiritur veritate persuadeant. Syllogismo enim nihil ipsis innotescit, quod non prius notum erat: quia necesse est, ut, antequam cogitationes suas formæ isti syllogisticæ includere possunt, connexionem, quæ ideæ mediatæ cum duabus aliis ideis, inter quas est collocata, intercedit, & quibus illa applicatur ad demonstrandam earum convenientiam, videant; & si hanc semel animadverterint, perspiciunt etiam, num consequentia sit bona an mala, atque adeo syllogismus nimis sero ad eam stabiliendam adhibetur. Nam, ut superius exemplum iterum allegem, quæro, annon nostra, ut res hæc vulgato & facili exemplo explicetur, sit animal intermedia *idea*, sive *medius terminus*, qua mens utitur, quando ostendere cupit, quomodo *homo* & *vivens* connexa sint, rogo, annon connexio menti apertior sit in simplici hoc & genuino ordine, ubi *idea*, alias colligans, medium locum obtinet,

Homo . . . Animal . . . vivens
quam in perplexo isto
Animal . . . vivens . . . homo . . . Animal.

quo nempe *ideæ* istæ collocantur, quando syllogismus efficitur, ut ostentator, quomodo *homo* & *vivens* per medium illud *animal* connexa sint.

Scio equidem, quosdam existimare, syllogismum iis

iis ipsis, qui veritatis sinceri sunt cultores, usui esse ad fallacias aperiendas, quæ sæpissime in elegantibus ingeniosis, & perplexis nimis sermonibus latent. At vero eos tota re errare palam statim fiet, si nobis cum reputemus, causam, cur nonnulli, veritatem sincere investigantes, per vagos & parum accuratos istos, atque, ut vocantur, sermones Rhetoricos in errorem interdum abducantur, non aliam esse, quam quod sermonum lepores & gratiæ animos eorum ita permulceant, ut non curent, aut non facile videant, quænam veræ sint *ideæ*, quibus illatio nititur. Ut iis ostendatur hujusmodi argumentatio quam manca sit & debilis, non aliud requiritur, quam ut superfluis istis *ideis* nudetur, quæ cum iis implicitæ, e quibus illatio pendet, videntur connexionem ostendere, ubi revera nulla est; aut impediunt saltem, quo minus cernamus, ubinam illa desideretur; & tunc nudæ istæ *ideæ*, quæ argumenti vim continent, ordine suo collocentur, quo in casu mens connexionem earum intuens utrum recte conclusum sit, nec ne, sine syllogismi adminiculo; breviter & dilucide judicare potest.

Fateor equidem, moris esse in hisce casibus *modum* & *singularum* proinde usurpare, quasi per formas tantum syllogisticas disceremus, sermones istos ambiguos male inter se cohærere. In ea opinione ipsemet olim eram, usque dum post accuratius examen inveni, argumentationis incohærentiam clarius ostendi, *ideas* intermedias naturali ordine suo nude disponendo, quam syllogismos, non solum quia series & connexio oculis immediate in eo, quem a natura obtinet, situ objicitur; verum insuper quia syllogismus incohærentiam paucissimis tantum iis ostendit quibus *modus* & *figura*, atque formæ syllogistica ratio perspecta sunt.

Ipsa *Idearum* apta dispositio, e quibus conclusio infertur, efficit ut unusquisque tam rudis, quam syl-

logiſmis verſatiſſimus, in quo terminorum eſt cognitio, atque animi facultas ad *idearum* iſtiuſmodi convenientiam, aut diſſidium percipiendum, clare videat, *ideas* in argumentatione male inter ſe eſſe connexas, & concluſionem abſurde colligi. Et quidem ipſe quendam novi ſyllogiſandi prorſus neſcium, qui longi argumenti, utcunque arificioſi, adeo ut præſtigiæ & captiones ejus plus quam tyroni Logico imponerent, fallacias omnes primo ſtatim auditu ſolvare poterat. Nec dubito, quin omnibus ferme lectoribus meis alii ſint noti, huic ſimiles. Res niſi ita ſe haberet, periculum eſſet, ne, quæ in Principum ſanctioribus conciliis, & concionibus publicis diſceptantur, male cederent, quoniam ſæpiſſime negotia iſta gerentes hand formas ſyllogiſticas, atque *modum* & *figuram* apprime didicere. Si ſyllogiſmus unica, vel optima ratio eſſet argumentorum fallacias excutiendi, haud credo univerſum genus humanum, vel quidem Principes in rebus, ad ſalutem ſuam & regni emolumentum ſpectantibus improvidos adeo & negligentes fore, & falſitate adeo oblectari, quin ſyllogiſmos adſciſcerent quibus ardua regni negotia tractantes nunc in conciliis uti perridiculum eſt. Hinc oſtenditur, viros iſtos acutos & perſpicaces, quibus aliud negotium eſt datum, quam in Scholis otioſe diſputare, quibus in conſilio errare nonnunquam capitale eſt periculum, inveniſſe formas iſtas ſcholaſticas nullius eſſe uſus ad verietatem, ſive fallaciam, explorandam quarum utraque ſine illarum adminiculo iis omnibus clarius elucent, niſi qui a veritatis luce aciem mentis abducere malunt.

Secundo. Ratio altera dubitandi, utrum Syllogiſmus unicum & genuinum ſit rationis inſtrumentum ad veritatem equirendam, eſt, quod, utcunque *modus* & *figura* uſui eſſe perhibeantur ad fallacias aperiendas, formulæ iſtæ ſcholaſticæ errori non minus

ſint

sint obnoxiæ, quam simpliciores modi argumentandi. Hoc verum sit, nec ne, communem observationem appello, quæ docet, artificiosa hæc argumenta magis accomodata esse ad veritatem obscurandam, quam lumen menti præferendum. Hinc est, quod homines in certaminibus hisce scholasticis quando superantur, haud adversariis ita cedant, ut in illorum sententiam transeat. Dabunt fortasse, eum argutius disputare perstabunt nihilominus in sententia sua, quam veram esse mordicus asserunt. Res vero aliter se haberet, si argumentatio erroribus hominum convincendis idonea satis esset, atque, veritas in quonam consistat, palam ostendere. Quare *syllogismus* magis ad victoriam in disputationibus consequendam, quam ad veritatem inveniendam accomodatus esse videtur. Et si certum est, sophismata & fallacias posse sub syllogismis latere, quod nemo facile inficiabitur, tunc ea per aliud quid, quam syllogismos, solvenda esse fatendum est.

Equidem non ignoro, quosdam, quando omnis iste usus, de quo ipsi contendunt, syllogismis inesse negatur, temere nimis vociferari, me eas e literaria republica penitus proscribere conari. Absit, ut ego aliquid tollendum decernerem, quod intellectui adjumento est ad rerum cognitionem, si qui exercitati & versati in syllogismis, eos menti opitulari ad verum expediendum plane deprehendunt, iis utantur, per me quidem licet. Caveant tantummodo velim, ne plus æquo formis istis syllogisticis tribuant; neve putent absque iis nullum esse facultatis rationalis usum. Nonnulli ea sunt oculorum infirmitate, ut sine conspicillis nihil clare & distincte videant, si, qui iis adjutoribus utuntur, dixerint, sine iis haud firmam satis & acutam esse oculorum aciem ad quidpiam videndum, ii arti nimis faventes (cui fortasse plurimum debet) in naturam nimis injuriosi censendi sunt. Ratio ubi roboris adulti est, atque usu

 exer-

exercitata, ſagacior longe eſt, & ſine ſyllogiſmorum adminiculo altus in res penetrat. Si horum conſpicillorum nimio uſu acies ejus eo uſque habeatur, ut quid in ratiocinio recte concluſum ſit, quid non, ſine iis cernere nequeat, abſit, ut ego iliorum uſu hominibus interdicerem, novit unuſquiſque, quibus viſus adjumentis ipſe opus habeat, errat vero, ſi putat, eos omnes in caligine verſari, qui non iiſdem utuntur.

§. V.

Syllogiſmus in demonſtratione parvi admodum, in argumento probabili nullius omnino eſt uſus.

UTut vero ſe res habeat in cognitione certa, vere, puto, dici poteſt, ſyllogiſmos in *probabilibus minoris multo*, aut *nullius omnino uſus eſſe*: Cum enim aſſenſus ibi ſit determinandus juxta vim argumentorum, poſtquam ea, perpenſis utrinque circumſtantiis omnibus, diligenter examinantur, ut in hoc menti adjumento ſit, nihil ſyllogiſmo minus congruens eſt aut aptum; is enim, ſumto probabili argomento, eo uſque illud perſequitur, donec mens, longis erroribus & perplexa propoſitionum ambage implicata, neſcit tandem, ubinam ſit, aut quomodo ſe ex laqueis iſtius expediri poſſit.

§. VI.

§. VI.

Ad cognitionem augendam ne hilum prodest, litigiosis tantum disputationibus inservit.

DEmum vero syllogismum (quod, fortasse, dictum erit) nobis adjumento esse ad errores hominum convincendos; (scire autem velim, quisnam syllogismo subactus ad alienam sententiam transiverit) *rationi* tamen *nostræ* haud in ea parte subvenit, quæ si non summa perfectio, at certe difficillimum, & nobis maxime necessarium, ejus negotium est, hoc est, in *inventione argumentorum*, & ignoti prius *veri investigatione*. Regulæ *syllogismi* haud menti intermedias istas *ideas* suppeditant, quæ remotiorum connexionem ostendant. Hæc argumentandi ratio haud nova quædam argumenta excogitat, verum artificium tantummodo tradit ea disponendi, quæ prius nota erant. Propositio 47. libri primi *Euclidis* verissima est, ea tamen, puto, haud per ullas vulgatas Logices regulas inventa est. Homini res primo nota est, dein eam syllogistice probare potest. *Sigillogismus* itaque cognitione posterior, & proinde inutilis est. Nos *Idearum* inventioni, quæ remotiorum connexionem ostendunt, cognitionis nostræ, atque artium & scientiarum utilium incrementa præcipue debemus. *Syllogismus*, ad summum, ars tantum est exigua ista, quam habemus, cognitioni cum aliis dimicandi, sine omni ulteriori augumento: Si quis omni ratione sua hoc modo contentiose semper uteretur, haud secus faceret, quam si quis effosso e terræ visceribus ferro ex omni isto gladios efficeret, quos in servorum manus traderet, ut se mutuo jugularent. Si *Ispaniarum* Rex non aliter subditorum suorum industria, atque ferri sui Iberici minera usus fuisset, ingens iste thesaurus, per

tot annos terræ in gremio abditus, haud tanta in copia ex *America* in *Iberniam* esset invecta. Et puto, eum, qui omnem suæ rationis vim in formandis syllogismis exercuerit, parum eruturum reconditioris istius scientiæ, quæ adhuc in naturæ abditis latet & nobis occulta est; & ad quam, puto, ratio rudis & inculta; prout olim factum est) viam faciliorem apertura est, quam Regulæ quævis super *Modo* & *Figura* syllogismorum.

§. VII.

Alia adjumenta quærenda sunt.

NUllus tamen dubito, quin modi inveniri possint rationis nostræ in parte hac utilissima adjuvandæ; in hoc autorem sequor virum singulari judicio *Hookerum* nostratem, qui in *Ecclesiasticæ suæ Politiæ*, Lib. 1. §. 6. hoc modo loquitur, *veræ artis & genuinæ eruditionis, vera subsidia si adjicerentur, quæ subsidia plane fatendum est huic ævo nostro, quod omnimodam eruditionem præ se fert & ostentat, parum nota, nec multum curata esse), sine dubio idem ferme discrimen foret in judicii maturitate inter homines iis utentes, & id quod homines nunc sunt, ac nunc est inter homines solertes, atque idiotas.* Haud ego præ me hic fero, me quævis ex *veris* istis *artis adjumentis* invenisse'n: palam vero est, neque *syllogismum*, neque systemata Logica, quæ nunc sunt in usu inter ea recensenda esse, illa enim superiori in seculo, quo vir ille perspicacissimus floruit, non minus nota erant. Mihi satis est, si per argumentum, fortasse, a trita & communi methodo aliquo modo discrepans, quod ad me quidem novum, & quod a nemine mutuatus sum, aliis ansam aliquam præbuere nova inventa, atque *vera artis subsidia* perscrutandi, quæ vereor, ne ii haud penitus investi-

ſtigaturi unquam ſint, qui regulas & dictata aliorum ſequentur. Trita enim ſemita *imitatorum ſervum* illud *pecus* eo ducit, *non quo eundem eſt*, *ſed quo itur*. Dicere tamen auſim noſtra hac ætate quoſdam eſſe ea perſpicacia atque ingenii magnitudine, qui ſi animum ad illud attenderent, novos & ignotos adhuc aditus nobis ad uberiorem longo rerum cognitionem aperire poſſent.

§. VIII.

Circa particularia ratiocinamur.

ÆQuum mihi videtur, *ſyllogiſmum* hinc in genere tractanti, atque uſum ejus, tam in diſputando, quam in cognitione noſtra augenda inveſtiganti, antequam hinc argumento finem fecero, quendam memorare errorem inſignem in *ſyllogiſmorum* regulis; *nihil* nempe *in ſyllogiſmo recte concludi, in quo altera ex præmiſſis non eſt univerſalis*. Secus vero ſe res habet; particularia enim, quæ omnis ratiocinationis & cognitionis noſtræ immediata ſunt objecta, cognitionem pariunt. Sua cujuſque ratiocinatio & cognitio circa *Ideas* verſantur, in mente exiſtentes; hæ vero entia ſunt particularia; circa alias res eatenus tantum ratiocinatione utimur, quatenus tum *ideis* hiſce particularibus conveniunt. Quare perceptio convenientiæ aut repugnantiæ *idearum* particularium ſumma eſt cognitionis noſtræ. Univerſalitas ei non niſi accidentale quid eſt, atque in hoc tantum conſiſtit, quod *ideæ* particulares, ad quas refertur, ejuſmodi ſint, ut cum iis plura entia particularia convenire, aut ab iis repræſentari poſſint. Perceptio vero convenientiæ aut diſſidii duarum quarundam *idearum*, & per conſequens, cognitio noſtra, æque clara eſt & certa, ſive alterutra *idearum* iſtarum, plura entia ...alis repræſentare

 poſſit,

possit, nec ne. Hic mihi liceat aliud ulterius de syllogismo quaerere, utrum nempe ea esse debeat syllogismorum forma, quae nunc in usu est? Cum enim extrema per *medium terminum* colligenda sint, ut idearum, de quibus quaestio est, convenientia aut dissidium ostendatur, an non *medius terminus* locum obtineret maxime accomodatum ad extremorum convenientiam aut repugnantiam ostendendam, si in illorum medio collocaretur. Hoc commodissime fieri posset, propositiones transponendo, ita, ut *medius terminus* praedicatum esset majoris, & subjectum minoris, ut exemplis hic allatis.

Omnis homo est Animal,
Omnis Animal est vivens,
Ergo, Omnis homo est vivens.
Omne corpus est extensum & solidum,
Nullum extensum & solidum est pura extensio,
Ergo corpus non est pura extensio.

Haud opus est, ut Lectori syllogismorum exempla proponam, in quibus conclusio est particularis, eadem in iis forma obtinebit, quae in universalibus.

§. IX.

Primo. Ratio nos deficit propter idearum defectum.

Ratio, etiamsi in maris altissimi, & telluris abdita penetret, etiamsi efficiat, ut cogitationes nostrae per coeli templa, & immensi hujus universi spatia omnia pervolent, multo tamen angustior est reali entium corporearum comprehensione; & in quibus ipsa nos deficiat, multa possunt exempla afferri: Verbi gratia.

Pri-

Digitized by Google

Primo, *Ubi* Ideæ *nostræ deficiunt*, ibi ratio nos deficit. Ultra illarum ambitum pertingere nequit. Quare si quando de verbis disputantes, quæ *ideas* non supponunt, hoc nihil aliud est, quam inaniter strepere.

§. X.

Secundo, propter ideas obscuras & imperfectas.

SEcundo, Ratio nostra sæpe est in ambiguo, *propter obscuritatem*, *confusionem*, aut Idearum *imperfectionem*, circa quas versatur; quo in casu nos laqueis inexplicabilibus implicati, mirum est, ni pugnantia loquamur. Ita nimirum cum minimæ extensionis materiæ, aut infinitatis *ideam* nullam perfectam habeamus, de materiæ divisibilitate quid statuendum sit nescimus; circa numeros vero haud patitur difficultates ejusmodi, nec dubii ferimur in varias & pugnantes sententias, quoniam eorum perfectas, claras, & distinctas *ideas* habemus. Similiter, cum non nisi imperfecta admodum in nobis *idea* habemus. Similiter, cum non nisi imperfecta admodum in nobis *idea* sit agitationis mentis nostræ; atque initii motus & cogitationis in ea, quomodo nempe eorum alterum in nobis producat; imperfectior vero longe idea Operationis Dei: hinc circa entia creata libereque agentia perdifficiles existunt quæstiones, quas ratio vix solvere potest.

§. XI.

§. XI.

Tertio, propter defectum idearum intermediarum.

TErtio, sæpe ratio, quid tenendum sit, exinde nescit, *quod non ideas cernat, quarum est, duarum quarundam aliarum idearum certam vel probabilem convenientiam, aut diffidium ostendere*, atque in hoc nonnulli alios facultatibus animi longe antecellunt. Antequam *Algebra*, insigne illud instrumentum, atque indicium perspicaciæ nostræ, inventa erat, homines ad multas veterum Mathematicorum demonstrationes plane stupefacti hæserunt, & vix sibi temperare poterant, quo minus crederent, quædam ex iis argumentis ingenio plus quam humano inventa fuisse.

§. XII.

Quarto, propter falsa principia.

QUarto, *mens falsis innixa principiis*, in angustias sæpe, & quos expedire nequit, nodos difficiles incidit; quo in casu rationis opem implorare frustra est, nisi ut istius adminiculo principiorum istorum fallacia detegatur. Tantum abest, ut ratio obscuritatem tollat, qua argumentum involutum est, quod falsis nititur principiis, ut contra; quo longius illud quis persequitur, eo magis tortuosum & perplexum reddatur.

§. XIII.

§. XIII.

Quinto, propter terminos ambiguos.

QUinto, Ut *ideæ* obſcuræ & imperfectæ, ita eadem de cauſa, voces ambiguæ, & ſigna incerta, in ſermonibus *ſæpe* & diſputationibus, ad ea quando haud ſatis attenditur, *rationem* ita *confundunt*, ut ea *ulterius pergere* nequeat. Duo hæc poſteriora noſtra ſunt, non rationis vitia. Quæ tamen confuſio, & quinam ex iis naſcantur errores, nuſquam non videre eſt.

§. XIV.

Cognitionis noſtræ gradus altiſſimus eſt intuitivus, ſine ratiocinio.

QUænam *Ideæ* ita ſunt in mente, ut inter ſe invicem immediate ibi comparari poſſint: harum convenientia aut repugnantia menti haud minus perſpicua eſt, quam eas ibi exiſtere. Ita nimirum mens non minus clare videt, circulo ſegmentum minus eſſe toto circulo, quam ipſam circuli *ideam*: hæc itaque, ut dictum eſt, vocatur *cognitio intuitiva*; cujus maxima eſt certitudo & omni dubitatione major, quæ nec probatione indiget; nec probari omnino poteſt. In hac omnino *axiomatum* iſtorum evidentia conſiſtit, quorum tanta eſt certitudo, ut ea terminis ſuis rite intellectis aſſenſum ſtatim extorqueant. Ut veritatibus hiſce aſſentiamur haud facultate diſcurſiva, aut ratiocinio opus eſt, illarum ſuperior longe illuſtrior *evidentia* eſt. Si mihi de ignotis conjectare liceat, puto equidem, ſimplici hoc *intuitu* Angelos nunc omnia, & pios omnes aliquando, poſtquam e corporis cuſtodiis liberati fuerint, innumera contemplaturos, quæ vel abdite la-

latent, aut in iis, quibus versamur, tenebris, non nisi per caliginem hic cernuntur.

§. XV.

Proximus est cognitio demonstrativa.

Etiamsi vero claræ hujus lucis, cognitionis lucidæ scintillulæ quædam nonnunquam hic illic nobis eluceut; idearum tamen nostrarum pars longe maxima tales sunt, quales inter se immediate comparatæ convenientiam suam, aut dissidium haud produnt: in hisce omnibus *ratiocinio opus* est, ut quod inveniri volumus per discursum colligatur. Harum duo sunt genera, quorum mentio hic rerum necessaria erit.

Primi generis sunt eæ, quarum convenientia, aut dissidium etiamsi per immediatam collationem cerni nequit, interventu tamen expenditur aliarum *idearum*, quæ cum iis comparari possunt. Quo in casu cum *ideæ* intermediæ manifesta est convenientia aut repugnantia cum iis, quibuscum utrinque comparatur, fit demonstratio, cujus cognitio certa est & evidens, difficilior tamen, atque paulo obscurior ea, quæ vocatur *cognitio intuitiva*. In hac enim haud locus est errori, quoniam non alterum ex altero colligitur, verum *ideæ* omnes coram simul uno intuitu conspiciuntur. In *demonstratione* etiam veritatem clare intuemur, at non totam simul, atque uno intuitu: tenendus enim memoria est *intuitus* convenientiæ *Medii* cum *idea* priori, quando illud cum altera comparamus: atque ubi multa sunt *media*, ibi erroris majus est periculum. Per continuationem enim & seriem ratiocinii singulæ *idearum* convenientiæ aut repugnantiæ memoria conservandæ sunt, nec quicquam eorum prætermittendum, quod ad demonstrationem necessario requiritur. Hinc in demonstra-

ſtrationibus quibuſdam prolixitas & implicatio tanta eſt, ut illorum captum ſuperent, qui propter mentis anguſtias tot ſimul res diſtincte comprehendere nequeunt. Atque ii quidem ipſi, in quibus mens eſt capacior, & par ſpinoſis ſpeculationibus iſtis, neceſſum habent demonſtrationem ſæpius iterare, priuſquam certitudinem aſſequantur. Attamen ubi mens eum clare retinet, quem habuit, intuitum convenientiæ *ideæ* cujuſdam cum alia, atque hujus cum tertia, & tertiæ iſtius cum quarta, &c. ibi convenientia primæ & quartæ eſt *Demonſtratio* atque certitudinem parit, quæ dici poteſt *cognitio Ratiocinativa*, ſicut altera *Intuitiva* vocatur.

§. XVI. *Secundi generis* ſunt *ideæ*, de quarum convenientia aut repugnantia haud aliter judicari poteſt, quam per aliarum interventum, quæ cum extremis haud certam habent, verum probabilem tantum convenientiam: circa has *judicium* propriæ verſatur, quod fit, quando quis in ea eſt opinione, *ideas* quaſdam inter ſe propterea convenire, quod cum *Mediis* quibuſdam veriſimilibus eæ connexæ & comparatæ fuerint. Opinio hæc etiamſi haud cognitionis, ne infimæ quidem, nomen obtinet; nonnunquam tamen *ideæ* intermediæ extrema tam recte connectunt, atque veriſimilitudo tanta eſt, ut aſſenſum haud minus neceſſario eliciat, quam Demonſtratio ſcientiam. Judicii munus atque uſus ſingularis eſt, rite obſervare, veriſimilis cujuſque argumenti vi expendere; atque perpenſis omnibus illud amplexari, in quo majus eſt rationum pondus, quæ aſſenſum movent.

§. XVII.

§. XVII.

Cognitio intuitiva.

COgnitio *Intuitiva*, perceptio est certæ convenientiæ aut repugnantiæ duarum *idearum* ad se invicem immediate comparatarum.

Cognitio Ratiocinativa.

Cognitio Ratiocinativa, perceptio est convenientiæ aut repugnantiæ duarum quarundam *idearum*; per unius aut plurium *idearum* interventum.

Judicium.

Judicium est, quando duas *ideas* convenire inter se aut pugnare, per *ideam* intermediam colligimus, quæ non certo, verum crebro & usitate cum iis connexa esse deprehenditur, aut contra.

§. XVIII. Etsi Propositionis unius ab altera deductio, & *factæ in vocibus illationes*, insignes sunt *rationis* actus, atque ii, in quibus vulgo exercetur: ad Ratiocinium tamen præcipue pertinet duarum *idearum* convenientiam aut dissidium per alteram mediam invenire. Sicut nimirum Artifex, ulnæ adminiculo; ædes duas longitudinis ejusdem esse deprehendit, quarum æqualitatem haud per *juxta positionem* exploiare poterat. Voces suas inter se consequentias habent, prout signa sunt *idearum*: atque res conveniunt inter se aut diffident, prout revera sunt; id autem per *ideas* tantum nostras exploratum habemus.

§. XIX.

§. XIX.

Quatuor argumentorum genere. Primo, ad Verecundiam.

PRiusquam huic Argumento finem fecero, operæ pretium erit, *quatuor argumentorum genera notare*, quibus homines uti solent in disputationibus, ad aliorum assensus eliciendos; aut saltem ora ita obstruenda, ut nihil contra respondere possint.

Primum genus est: quando Auctores citantur, qui propter ingenium, eruditionem, dignitatem, aut potentiam, magnam in Scholis opinionem aut in republica auctoritatem obtinent. Immodestiæ esse putatur quippiam contra illorum existimationem dicere, quibus partæ semel famæ & dignationis certa & stabilis possessio permanet. Moris est eos superbiæ & arrogantiæ arguere, qui suis opinionibus adærescunt contra antiquitatis auctoritatem; atque eas ejurare nolunt, etiamsi fortasse Doctor aliquis insignis, aut alioquin magni nominis scriptor contrarium docuerit. Qui hujusmodi auctoritatibus dogmata sua munit, penes se victoriam esse putat, atque impudenter eos agere dicit, qui quippiam contra dixeriat hoc, puto, potest *Argumentum ad Verecundiam*.

§. XX.

Secundo ad Ignorantiam.

S*Ecundo*. Quando homines victoriæ palam sibi aucupantes, ab iis postulant, quibuscum controversia est; ut vel argumentis cedant ab iis allatis, aut ipsi meliora afferant. Hoc dici potest *Argumentum ad Ignorantiam*.

Ter-

Tertio ad Hominem.

Tertio. Quando is, qui alium refellere vult, afferit, argumenta sua opinioni ejus, atque iis consentanea esse, quæ ab ipso prius erant concessa, & sic eum ipsius propriis principiis convincit. Hoc nomine jam satis noto dicitur *Argumentum ad Hominem.*

Quarto ad Judicium.

Quarto. Quando ad rem probandam argumenta afferuntur, e cognitionis aut verisimilitudinis fontibus quibusvis tracta. Hoc voco *Argumentum ad Judicium.* Inter quatuor hæc postremum hoc primas jure obtinet, vere enim nos erudit, & ad ulteriorem cognitionem facilem nobis cursum aperit. I. Enim, haud alterius dogma propterea verum esse perhibet, quod ego præ verecundia illi, cujus apud me plurimum valet auctoritas, contradicere nolim. II. Neque probat alterius opinionem veram esse, meque eam sequi idcirco debere, quod non meliora mihi argumenta suppetant ad alteram firmandam. III Neque sequitur verum illud esse, quod alius tradit, quoniam me erroris coarguerit. Fieri potest, ut propter verecundiam haud contra auctoritatem alterius aut sententiam stare ausim: ut propter literarum ignorantiam haud melius argumentum contra afferre possim: ut sim in errore atque alius mihi illud ostendat. Hoc fortasse animum mihi incendat ad verum amplexandum, ad illud vero haud quaquam adjumento est; hoc ab argumentis, & rationibus, ex rerum ipsarum natura elucentibus, non ex verecundia, inscitia, aut errore, provenire necesse est.

§. XXI.

§. XXI.

Quid sibi velit: Secundum, supra, & contra rationem.

EX iis, quæ hic de *ratione* dicta sunt, aliquo modo intelligimus usitatam illam rerum distinctionem in eas, quæ sunt *secundum*, *supra*, & *contra rationem*. I. *Secundum Rationem* sunt propositiones, quarum veritatem investigare possumus, *Ideas* examinando, quas a *sensatione* & *reflexione* nanciscimur; & quas veras esse, aut probabiles deductio naturalis ostendit. II. *Super rationem* sunt propositiones, quarum veritatem, aut probabilitatem Ratio a principiis istis deducere nequit. III. *Contra Rationem* sunt propositiones, quæ cum claris & distinctis *Ideis* nostris consistere nequeunt. Ita nimirum Dei unius existentia est *secundum Rationem*; plurium Deorum existentia *contra Rationem*; Mortuorum Resurrectio *supra Rationem*. Ceterum, ut *supra Rationem* dupliciter etiam sumi potest, nempe ut supra id quod probabile, aut id, quod certum est, significet, ita in lato sensu isto, *contra Rationem* etiam nonnunquam, credo, sumitur.

§. XXII.

Fides & ratio haud opponuntur.

VOcis *Rationis* alia est acceptio, in qua *fidei opponitur*: quæ etiamsi impropria est locutio, per usum tamen diutinum adeo inveteravit, ut si quis eam sublatum iret, frustra esset. Notari tamen velim, *fidem*, utcunque *rationi* opponitur, nihil esse, quam firmum mentis assensum; quem si rite moderari volumus, nulli nunquam propositioni absque ratione assentiemur, quod si sic, cum ra-

tione opugnare nequit. Qui nulla ratione inductus fidem tribuit testimonio alicui, is male sane erroribus nimis indulget; haud veritatem vero exquirit, ut par est, nec, uti debet, *Deo* Creatori suo morem gerit, qui nimirum ab eo postulat, ut ad errores declinandos inditarum ipsi facultatum omnium rationalium subsidio utatur. Qui in veritate exquirenda haud ingenii vires omnes adhibebit, is eam nonnunquam forte assequatur, casu tamen eveniet; nescio autem, utrum socordia ejus crimine propterea vacabit, quod conjectura ipsi feliciter successerit. Hoc saltem certissimum est, reddendum esse unicuique errorum rationem, in quos irruunt: cum contra qui inditam ipsis a Deo rationem ducem sequuntur, atque ad verum indagandum iis, quæ a natura habent, adjumentis sincere utuntur; hoc sibi solatii proponere possunt, quod quoniam ita se gesserunt prout viros decet rationis participes, licet veritatem haud assecuti sint: istius tamen præmium amplissimum consequentur. Atque ii quidem enunciatis recte assentiuntur, qui sententiam, aut testimonium quodvis recipiendum, aut rejiciendum esse statuunt, prout ratio dictaverit. Qui secus facit, contra lumen illud peccat, quod Deus in mente ejus eum in finem accendit, ut illud sequeretur, in quo probabilitas atque evidentia est maxima. Quoniam vero, secundum nonnullos, fides, & ratio opposita sunt, capite sequenti, hoc sensu a metractabuntur.

CAP.

CAP. XVIII.

De Fide & Ratione, & distinctis earum muneribus.

§. I.

Fines Fidei & Rationis necessario cognoscendi sunt.

Supra ostensum fuit. I. Nos omnia necessario ignorare, ubi *Ideas* non habemus. II. Cognitionem rationalem nobis semper deesse, ubi argumenta desunt. III. Ubi claræ & determinatæ *Ideæ* specificæ desiderantur, ibi cognitionem generalem & certitudinem desiderari. IV. Nos haud probabilem habere opinionem ad assensus nostros in rebus regendos, quæ neque ex scientia nostra, nec aliorum testimonio nobis cognitæ sunt.

Ex his ita præmissis, facile mihi videtur, *Fidei* & *rationis* fines & terminos invenire; quorum ex ignoratione forsitan si non magni tumultus, at disputationes litigiosæ & errores plurimi nati sunt. Frustra enim aliarum errores convincere, & in religionis controversias tollere conamur, priusquam in quibus rationem, & in quibus fidem, sequendum sit, definitum fuerit.

§. II.

Fides & ratio, prout inter se contradistinguuntur, quid sunt?

PAlam est, omnes, cujuscunque sint sectæ, ad rationem semper confugere, quoties in ea subsidium aliquod inveniunt; at si institutis eorum adversatur, tunc obstrepere solent, rem istam *fidem spectare*, *& supra rationem esse*. Nec video quomodo quempiam in controversia, vim argumenti ita declinantem, refutare possint antequam *fidem* inter & *rationem* terminos accurate definiverint, quod ante omnia in quæstione omni fieri debet, in qua de *fide* disceptatio quædam oritur.

Ratio itaque prout *fidei* hic contradistinguitur, mihi nihil esse videtur, quam certitudinis inventio aut probabilitatis propositionum seu veritatum, quas mens attingit per deductiones ab *Ideis*, quas ex naturalium facultatum usu, vel, quod idem sonat, per sensationem aut reflexionem assecuta est.

Fides econtrario, assensus est, quo propositionem quandam dignamur, non aliud ab alio per rationem ita deducentes, verum testimonio nixi, quo res ista modo extraordinario nobis a Deo pervulgata esse perhibetur. Rationem hanc veritatis, cum hominibus communicandæ, nos *Revelationem* dicimus.

§. III.

§. III.

Nulla nova Idea simplex per revelationem traditionalem mentem introduci potest.

PRimo, itaque dico, *posse neminem, divino spiritu afflatum, per ullam revelationem aliis novas quasdam* Ideas *si simplices* impertire, quas non ipsi per sensationem aut reflexionem prius sunt adepti. Utcunque enim quippiam ipsi a Deo immediate imprimatur, revelatio tamen ista, si novarum sit *idearum* simplicium, alteri per voces aut alia quævis signa impertiri nequit. Voces enim, per operationem immediatam, nullas in nobis *Ideas* excitant, nisi sonorum naturalium; & licet propter consuetudinem iis per signis utendi, latentes *Ideas* in mente resuscitent; eæ tamen non aliæ sunt, quam quæ prius ibi extitere. Voces enim conspectæ, aut auditæ efficiunt, ut eæ tantum *Ideæ* cogitationibus nostris obversentur, quarum apud nos signa esse solebant: alias autem novas plane, & prius incognitas *Ideas* simplices, introducere nequeunt. Idem dicendum de aliis omnibus signis, quæ nobis res signare nequeunt, quarum nullæ prius *Ideæ* in mente inerant.

Ita nimirum *Divus Paulus* in *tertium usque cælum raptus*, utcunque ipsi res plurimæ ibi revelatæ fuerint, atque is novas *ideas* mente hauserit, locum istum aliis non aliter describere poterat, quam dicendo, res tantas fuisse, *quales nec oculus viderit, auris audiverit, nec mens humana concipere possit*. Et si animis fingeremus, Deum modo supernaturali, cuipiam palam ostensurum genus animalium, intra *Jovis* puta, aut *Saturni* orbem degentium (qualia ibi deprehendi posse nemo inficiabitur) sex sensibus præditorum, atque *Ideas* in animo ejus signaturum, quas

ea per sextum istum *sensum* recipiunt, attamen haud iste magis posset *ideas* istas per voces quasvis in alterius animo imprimere, quam nos possumus coloris *ideam* homini per sonos impertire, qui cæcus erat natus. Quod ad simplices igitur *ideas* attinet, quæ scientiarum fundamenta sunt, & cognitioni nostræ materiam omnem suppeditant, non ultra rationem, hoc est, naturales nostras facultates quærendæ sunt; fieri nequit, ut eæ per *revelationem traditionalem* mentem subirent, *traditionalem* dico *Revelationem*, ut ab *Originali* distinguatur. Per illam, intelligo primam istam impressionem, quam in animis hominum *Deus* immediate efficit, cui fines nulli constitui possunt; per hanc vero impressiones, quas in aliis signamus, quando conceptus nostros iis per voces interpretamur.

§. IV.

Revelatio traditionalis efficere potest, ut propositiones cognoscamus per rationem cognoscibiles, non eadem tamen certitudine, qua quidem ratio efficit.

SEcundo, dico, *veritates easdem, per rationem, atque ideas naturales, nobis per revelationem aperiri atque tradi posse*. Ita nimirum veritas propositionis cujusvis in *Euclide* perinde a Deo immediate revelari, ac ea facultatum adminiculo ab hominibus inveniri poterat. In hujusmodi rebus omnibus *revelatio* haud magni est usus, cum ad rerum cognitionem Deus viam magis compendiariam, per naturales nempe facultates, nobis aperuerit. Veritas enim, quæ ex *Idearum* nostrarum notitia & contemplatione oritur, ea certior erit, quam per *revelationem traditionalem* adipiscimur, Cognitio enim, qua nobismet persuademus, *revelationem* hanc primitus a Deo fluxisse.

xisse, adeo certa & explorata esse nequit, ac ea, quæ ex *Idearum* nostrarum clara & distincta convenientia aut repugnantia nascitur. Verbi gratia, si lapsis jam seculis aliquot revelatum esset, *Tres Angulos trianguli æquales esse duobus rectis*, fieri posset, ut ego traditioni isti ob testimoniorum fidem assentiret; de veritate tamen istius haud plena adeo in me persuasio innasceretur, ac si eas, quæ in me sunt, duorum angulorum rectorum, atque trianguli angulorum trium Ideas inter se compararem. Idem dicendum de rebus factis, quarum cognitio sensibus hauritur. V. gr. Historia *diluvii* scriptis nobis traditur, quæ a Revelatione originem duxere: nemo tamen, puto, dixerit, se claram adeo & certam habere *diluvii* cognitionem, ac *Noachus* habuit, qui illud vidit, aut ipsemet habuisset, si modo tunc temporis vixisset. Haud majori enim, quam quæ ex sensibus hauritur, is certitudine scit, id scriptum esse in libro, cujus *Moses*, Divino numine instinctus, scriptor esse perhibetur: haud vero tam certo scit, *Mosem* librum istum scripsisse, quam si eum scribentem coram conspexisset; quare fides *revelationis* istius minor est ea, quæ nascitur ex sensuum testimenio.

§. V.

Revelationi haud auscultandum est, rationis lumini quando opponitur.

IN propositionibus itaque, quarum certitudo in clara perceptione fundatur convenientiæ aut repugnantiæ *Idearum* nostrarum, quas vel per intuitionem immediatam assequimur, ut in propositionibus per se claris, aut per rationis deductiones, ut in demonstrationibus, haud revelatione opus est ad assensum nostrum elicendum, easque in mentem in-

troducendas. Defixæ ibi prius erant per naturales modos cognoſcendi, unde perſuaſio, qua non major eſſe poteſt, niſi ubi à *Deo* quippiam eſt immediate revelatum: quo in caſu certitudo in nobis ea cognitione major eſſe nequit, quâ illud divinitus *revelatum* eſſe novimus. Nec conſentaneum mihi videtur ut, ſub eo nomine, quippiam cognitionem manifeſtam labefactaret, aut apud quempiam fidem mereretur, quando cum claris ipſius notionibus plane pugnat. Cum enim nulla facultatum evidentia, per quas revelationes iſtiuſmodi recipimus, cognitionis noſtræ intuitivæ certitudinem ſuperare, neſcio an dicam æquare, poſſit; fieri nequit, ut pro vero aliquid amplexarentur, quod claræ & diſtinctæ cognitioni noſtræ contradicit; exempli gratia, ideæ unius corporis, & loci unius ita inter ſe plane conveniunt; atque illarum convenientia menti adeo perſpicua eſt, ut nos propoſitioni aſſentiri nequeamus, quæ dicit, idem corpus in duobus ſimul locis eſſe, utcunque ea divinæ *revelationis* auctoritatem præ ſe ferat: cum evidentia, *primo*, quam habemus, nos haud nobiſmet ipſius fucum facere, Deo iſtam attribuendo; *ſecundo*, nos recte eam intelligere, haud tanta eſſe poteſt, quanta eſt evidentia cognitionis noſtræ intuitivæ, qua impoſſibile eſſe diſcimus, ut idem corpus in duobus ſimul locis eſſet. Haud æquum igitur, ut *propoſitioni cuidam, divinæ tanquam revelationi aſſentiamur, quæ cum clara noſtra cognitione intuitiva plane pugnat.* Hoc enim nihil eſſet, quam cognitionis, evidentiæ, & aſſenſus omnis principia & fundamenta penitus tollere: atque inter verum & falſum nullum diſcrimen & ejus, quod credibile & incredibile, menſura nulla eſſet, ſi propoſitiones dubiæ, & quibus error ſubeſſe poteſt, primas obtinerent ante eas, quæ certæ & per ſe claræ ſunt. Quando itaque Propoſitiones cum *ideis* pugnant quarum convenientiam, aut repugnantiam clare percipi-

cipimus, eas inter *fidei* dogmata recensere frustraneum erit. Assensum nostrum sub eo, aut alio quovis nomine elicere nequeunt. Haud fides efficere potest, ut propositioni assentiamur, quæ cognititioni nostræ contradicit. Etsi *fides* enim *Dei* (qui mentiri nequit) testimonio nititur; unde tamen de veritate istius major in nobis persuasio esset, quam de iis, quæ ipsimet certo scimus? Cum certitudinis vis omnis ex ea, quæ in nobis est, notitia pendeat, id nempe a Deo revelatum esse, in hoc casu ubi propositio, quæ revelata esse perhibetur, a cognitione sive ratione nostrâ diffidet, objici potest, nos nempe concipere non posse, unde illud a *Deo* proveniret, nostri auctore atque opifice benigno, quod pro vero semel receptum, indita in nobis principia & cognitionis fundamenta omnia statim everteret; omnes animi facultates inutiles prorsus redderet; Opificis ejus partem longe præstantissimam, intellectum nempe nostrum perimeret; efficeretque, ut conditio humana, sive animi lumen, seu vitæ regimen spectes, brutorum animantium longe deterior esset. Si enim menti humanæ haud clarius unquam (imo, fortasse, haud æque clare) de re quapiam liquere potest, id nempe a *Deo* esse *revelatum*, ac de rationis suæ principiis, fieri nequis, ut, clara rationis evidentia repudiata, enunciato assentiretur, cujus in *revelatione* haud major est evidentia, quam in principiis istis.

§. VI.

§. VI.

Revelationi traditionali multo minus.

HUc usque ratio usui est homini, atque par est, ut auscultetur isti, idque vel in immediata, atque originali ista revelatione, quam ipsimet a Deo fieri putat: apud alios vero omnes, haud immediatam istam revelationem præ se ferentes, verum a quibus requiritur, veritates obsequenter recipere revelatas aliis, atque ipsis viva voce, aut scriptis traditas, major longe est vis rationis, & qua sola inducti nos assensum iis præbemus. Cum enim sola revelatio divina *fidei* fit objectum: *Fides*, prout vocem istam usurpamus (*Divinam* nempe intelligimus), nullas circa propositiones versatur, nisi quæ a Deo revelatæ esse putantur. Quare non video, quomodo illi, qui revelationem solum fidei objectum esse statuunt, dicere possint, ad *fidem* unice pertinere, non rationem vero, credere, propositionem quamvis in libro hoc aut isto inventam, divinæ esse inspirationis; nisi revelatum fuerit, propositionem istam, aut omnia in libro isto contenta per divinum afflatum nobis tradita fuisse. Sine tali revelatione, sive dixerimus, sive negaverimus, propositionem, aut librum istum, divinæ esse auctoritatis, haud illud ex fide proveniet, verum ex ratione, quæ assensus nostros in hoc casu regit, neque efficere potest, ut rei cupiam assentiamur, quæ cum ipsa plane pugnat,

In omnibus itaque rebus, in quibus ad *ideis* nostris, & memoratis superius cognitionis principiis, clara nascitur evidentia, judicium proprie penes est rationem; atque revelatio, etiamsi, eum ea consentiens, dictata ejus confirmare possit, iis tamen in casibus, decreta ejus infirmare nequit: *neque nos, postquam claram hausimus & evidentem rationis sententiam, eo nomine eam repudiare cogimur, quod res*

ista

ista ad fidem spectet, fieri enim nequit, ut hæc perspicua *rationis* dictata convelleret.

§. VII.

Supra rationem quæ sunt?

TErtio, cum multæ res sint, in quibus imperfectas admodum, aut nullas omnino notiones habemus; aliæ vero, quarum præteritæ, præsentis, aut futuræ existentiæ, per naturalem facultatum usum, nullam omnino cognitionem attingimus; hæ, utpote supra *rationem* positæ, quoties revelantur, *proprie fidei sunt objecta*. Ita nimirum quando dicimus, Angelorum partem rebellasse contra *Deum*, atque eo pacto ex primo beatitudinis statu excidisse: mortuos resurrecturos esse, & victuros denuo: hæc & similia, cum rationis captum superent, *Fidei* dogmata appellanda sunt.

§. VIII.

Vel non contra rationem, quando revelantur; fidei sunt objecta.

QUoniam vero Deus, cum rationis lumen nobis tribuerit, haud semet ita constrinxit, quin, si modo ipsi videretur, nobis *revelationis* etiam lumen præberet, in iis omnibus rebus, ubi naturales nostræ facultates res probabiliter assequi possunt, *revelationi, ubicunque Deus eam nobis indulserit, præ rationis conjecturis probabilibus auscultandum est*. Mens enim, cum rei non evidentis veritatem haud perspectam habeat, verum probabilitati ejus cedere tantum incipit, testimonio ejus assentiri cogitur, qui nec errare, nec alios in errorem ducere potest. *Rationis* vero est, de revelationis istius veritate, &, qui-

quibus traditur, quod cum rationis principiis, atque ista, quæ in mente est, clararum & distinctarum *Idearum* suarum cognitione perspicuâ pugnabit; ibi rationi auscultandum erit. Nemo enim scire tam certo potest, propositionem, quæ claris & evidentibus cognitionis ejus principiis contradicit, divinitus fuisse revelatam, aut se voces, quibus traditur, recte intelligere, ac scit, contrarium esse verum, quare æquum est, ut in re ista opinionis suæ *rationem* videat ac scrutetur, non temere isti, & sine ullo examine, tanquam *fidei* articulo assentiatur.

§. IX.

Ubi ratio judicare nequit, aut non nisi probabiliter, ibi revelationi auscultare debemus.

PRimo, Quandocunque propositio revelatur, de cujus veritate, Mens nostra, naturæ suæ viribus, judicium ferre nequit, ea ad *fidem* pure spectat, & est supra rationem.

Secundo. Propositiones omnes, de quibus Mens, facultatum suarum adminiculo, *Ideis* naturaliter acquisitis, judicium ferre potest, ad rationis cognitionem proprie pertinent; cum hoc tamen discrimine, quod in propositionibus, quæ nituntur argumentis probabilibus, & quarum contrarias veras esse, nihil pugnant, revelationi manifestæ, præ effatis istis probabilius, assentiri debeamus. Ubi enim ex rationalis principiis propositionem manifesto veram aut falsam esse haud liquet, ibi revelationem claram, tanquam aliud principium veritatis, & assensus fundamentum, de ista statuere satis consentaneum est. Quoniam cum in re ista particulari haud ratio ultra id quod probabile est, pertingere potuit, deficiente

ea

ea Fides judicium tulit; & quæ vera erat sententia, Revelatio aperuit.

§. X.

Rationi auscultare debemus, certam quando cognitionem parit.

HUc usque Fides ditionem suam, minimo fine rationis damno, extendit; haud ratio enim impeditur, verum sublevatur magis per veritates novas, a cognitionis omnis æterno fonte manantes. Quicquid Deus revelavit, id verum esse, omni dubitatione majus est. Hoc *Fidei* proprium est objectum: Utrum vero divina sit revelatio, nec ne, rationis est judicare; quæ haud sinet unquam, ut mens argumentum obscurius præ evidentiori, aut quod probabile est, præ certitudine amplexetur. Haud de revelatione quavis traditionali tanta in nobis evidentia esse potest, eam, quatenus nempe verbis traditur & a nobis intelligitur, divinæ esse originis, quantam habemus de rationis principiis: Quare haud æquum facerent, si qui rogarent, *ut, quod cum per se claris dictatis plane pugnat, pro fidei dogmate sumeremus*. Divinæ revelationis ea vis est, cui nos, repudiatis opinionibus nostris, præjudiciis & emolumentis omnibus, assentiri debemus: nec, cedente hoc modo ratione fidei, tolluntur cognitionis metæ & termini, nec rationis fundamenta labefactantur, verum usus iste facultatum, ad quem destinatæ erant a Deo, integer nobis conservatur.

§. XI.

§. XI.

Nisi termini constituantur inter fidem & rationem nullæ opiniones ineptæ in religione refutari possunt.

SI *fides & ratio haud per terminos hosce a se invicem, regionibus suis secernuntur*, in re religionis, nullius omnino erit rationi locus; nec, quæ in variis religionum factis passim reperiuntur, opiniones & ceremoniæ ineptæ culpandæ erunt: Quicquid enim in religione quavis absurdum est, exinde puto, magna ex parte nascitur, quod fidem rationi opponentes, istam nimis prædicemus, & ad eam omnia referamus. Cum enim homines a tenella ætate ea opinione incanti fuerint, haud rationi auscultandum esse in rebus religionis, cum intelligentia nostra & sensu communi utcunque plane pugnantibus, hinc isti, quæ in hominibus naturaliter inest superstitioni indulgentes, opiniones absurdas & circa religionem ineptias secuti sunt, ad quas viri cordata stupens; & tam longe abest, ut eas Deo Maximo & sapientissimo gratas, ut contra viro sobrio pro ridiculo habendas esse putent. Hinc efficitur, ut religio, quæ nos rationis utpote participes, altius a brutorum animantium sorte maxime tollere debet, in causa fit, ut istis bestiis absurdiores sæpe videamur. *Credo, quia impossibile est*, in viro religioso, pro zeli flagrantis indicio, non autem opinionis, aut religionis, regula haberi potest (*).

PAP.

(*) Debet distingui contra rationem a supra rationem. Primum est de quo loquitur Lockius, secundum est pura, ac sancta, laudabilis fides, quæ semper nobis debet vigere.

CAP. XIX.

De Enthusiasmo.

§. I.

Amor veritatis necessarius est.

QUi veritatem serio inquirere vult, affectus suos in amorem ejus ante omnia accendere debet. Fieri enim nequit, ut in eam multam operam quivis impendant, nisi qui istius studiosi sunt & amantes. In republica literaria nemo est, quin veritatem sibi cordi esse profitetur: nec quisquam est rationis particeps, qui non aegre ferret, ut homines aliter de eo sentirent. Dici nihilominus vere potest, inter eos, qui singulare illud veritatis studium prae se ferunt, non nisi paucissimos esse, qui, illecebris ejus tracti, ex animo eam colunt. Utrum in hac re serio agamus, nec ne, una nota certo sciri potest, si nimirum propositionem eatenus tantum fide dignam putemus, quatenus argumentis firmatur. Qui assensus mensuram hanc excedit, palam est, eum veritatem amplexari, rerum suarum respectu magis, quam ipsius studio ductum. Haud minus impossibile est, ut veritatis studium assensum mihi ulterius eliceret, quam argumenta rem veram esse convincunt, quam ut veritatis studium efficeret, ut enunciationi assentiret, ob evidentiam, qua eam veram esse, haud convincitur: quod perinde est, ac si quis rem pro vera habendam propterea putaret, quod probabile sit, aut fieri possit, eam non esse veram. In omni veritate, haud per lumen naturae, nec per demonstrationem nota, argumenta assensum ipsi patien-

tientia, unica sunt verisimilitudinis ejus indicia sive mensuræ; nec aliter a nobis recipi potest, quam ab iis intellectui repræsentatur. Auctoritas & fides omnis, quam propositioni attribuimus, ultra, quam ab iis recipit, quibus nititur principiis & argumentis nascitur ab affectibus nostris, atque inde arguimur, haud studere satis veritati, quam a cupiditatibus & emolumentis nostris, a quibus vim nullam mutuantur infici haud consentaneum est.

§. II.

Dogmata nostra aliis imponendi cupiditas unde.

Ex affectibus hisce & judicio depravato fit, ut quæ tenenda sunt aliis præscribendi auctoritatem nobis arrogemus. Qui enim ferme fieri aliter potest quin is aliis imponat, qui sibimet ipse imposuerit? Num sperari potest, ut is dum aliis disputans aperte atque ingenue verum fateatur, qui cum semet ipso haud sincere agit? Qui facultatibus animi, qui menti suæ vim infert, qui jus usurpat, quod veritatis proprium & peculiare est, per suam nempe solius auctoritatem assensum imperare, hoc est, secundum evidentiam, & vim argumentorum.

§. III.

Enthusiasmi vis.

Hic tertium Assensus fundamentum notandum est *Enthusiasmus* nempe, cujus apud plurimos haud minor est vis & auctoritas, quam *fidei* aut rationis. Hic revelationi absque rationis adminiculo auctoritatem conciliatum it, quod plane est rationem & revelationem simul tollere, atque illorum lo-

loco delirantium somnia pro opinionum & morum regula substituere.

§. IV.

Ratio & Revelatio.

Ratio est *Revelatio* naturalis, qua æternus ille Pater, luminis omnis & sapientiæ fons, veritatis portiunculam istam, quam intra ingenii nostri captum posuit, cum genere humano communicat: Contra, *Revelatio* est *ratio* naturalis, novis quibusdam inventis, nobis immediate a Deo traditis, auctor facta, quæ vera esse ratio ostendit, per testimonia & argumenta, quibus ea a *Deo* manasse convincit. Qui *rationem* itaque deprimit, ut extollat *revelationem*, lumen utriusque extinguit, & perinde propemodum facit, ac si auctor esset homini oculos suos eruendi, ut eo melius astri invisibilis radios longinquos, ope telescopii, percipere.

§. V.

Enthusiasmi Origo.

Cum *Revelatio* hominibus compendiosior longe via sit ad sanciendas opiniones suas, & vitæ normam instituendam, quam prolixus valde, nec prospere semper succedens accurate disputandi labor, haud mirum est, quosdam revelationem ostentare, & sibimet persuasum ire, se peculiariter cœli subesse regimini in actionibus & opinionibus suis, atque iis præsertim, quarum per vulgatas Methodos cognitionis, atque rationis principia, rationem reddere nequeunt. Hinc videre est, omni ævo, homines, qui hypocnondriaci simul & omnia superstitione imbuti sunt, vel qui propter nimiam de semetipsis opinio-

nem, putant, sibi cum Deo majorem intercedere familiaritatem, quam permissa est aliis, certissimeque sunt persuasi, se in summi numinis congressum immediatum & colloquium sæpenumero venire. Haud negari quidem potest, posse Deum hominis intellectum illuminare per radium immediate in mentem e lucis isto fonte vibratum: hoc ab eo promissum intelligunt, ut promissa vero perficiat, quis iis meliori jure speret, quos sibi in gentem peculiarem ex aliis omnibus elegit?

§. VI.

Enthusiasmus.

MEntibus eorum hoc modo dispositis, quandocunque inepta quædam opinio, aut ad absurdum quid agendum propensio iis subnascitur, statim se divinitus esse motos, & Deo repugnaturos, si ista ejus jussa detractarent.

§. VII. Hunc proprie Enthusiasmum puto, qui licet nihil sit, nisi delirantium somnia lymphatica, & nec ratione, nec revelatione divina nitatur (*), quia tamen ab exæstuantis spiritus imaginatione proficitur majoris est momenti, ac ponderis in hominum opinionibus & actionibus dirigendis, quam ratio & revelatio, sive seorsum sive conjunctim sumtæ; homines enim, quos ex semetipsis recipiunt, impulsibus promtissime obsequuntur. Enthusiasticæ hujusmodi imaginationis vis tanta est, ut facile omnia exuperet, quamprimum sensus communis, & rationis vinculis liberata est, divinam præ se statim auctoritatem fert, & eodem tempore confirmatur quoque nostra inclinatione & proprio temperamento.

§. VIII. Etiamsi ineptæ opiniones & actiones absurde, in quas *Enthusiasmum* homines præcipitare con-

(*) Adnotetur, ne terminis confundemur.

consuevit, satis eos admonere debeant, ut ab *igne isto fatuo* sibi caverent, quo factum est, ut in errores tot inciderent, tam opinionum, quam vitæ regiminis: tam commoda tamen ipsis inspirata hæc videtur scientia, & tam gloriosum putant, alios antecellere, ut, cum in novam hanc methodum *revelationis* immediatæ, illuminationis absque inquisitione & investigatione, & certitudinis absque probatione, semel inciderint, haud facile semet inde extricare possint. Apud eos frustra quis argumentis utitur; cum supra rationem efferant: „ Errare se „ non posse dicunt, cum lumen videant in mentem „ plane infusum; quod non minus clarum est, quam „ solis ipsius radii, nec alio opus habet argumento, „ quam evidentia sua: Sentire se interius, ajunt, „ divini numinis impulsum, idque manifeste adeo, „ in hac re decipi nequeant „. Hoc modo sibimet blandiuntur, &, quæ in semet experiuntur ad rationis trutinam examinari nolunt. " Annon absurde „ ageret, si quis ab alio requireret, ut probaret, „ Solem supra horizontem esse, ipsumque eum vi- „ dere? Quamprimum Spiritus Dei mentem lumine „ perfundit, inde statim caliginem omnem dispellit. „ Lux hæc cœlitus missa vehemens, clara, & pura „ est, & sui demonstrationem secum fert, nec ab- „ surdius est, ut ad Solem inveniendum candelæ „ luce utamur, quam ut immissos a Deo radios, „ ad languidam candelam, rationem nempe, exiga- „ mus „.

§. IX. Hoc modo Enthusiastæ isti loquuntur. Cognitio illorum certa est: & quod afferunt, verum est, quoniam id verum esse persuasissimum habent. Sermonis enim eorum hæc summa est, quando Metaphoris a *visu* & *sensu* petitis, quibus verba sua involvunt; hæ tamen similitudines iis ita imponunt, ut eas ipsimet pro certis habeant, aliis pro demonstrationibus venditent.

§. X.

Enthusiasmi indicia quae sunt?

EXpendamus paulisper lumen hoc internum, &, quo tam pertinaciter nituntur, sensum. Dicunt hi, clarum se lumen habere, & videre; se sensum habere experrectum, eumque persentire: hoc sibi ab omnibus concedi haud dubitant: quando enim quis se videre aut persentire, dicit, id inficias ire perdifficile est. Hic autem rogare velim, quidnam percipiant, nam propositionis veritatem, aut *rem esse a Deo revelatam*? Sensus iste num perceptio est studii, sive propensionis internae ad agendum aliquid, aut Spiritus Dei, studium illud incendentis? Perceptiones istae valde inter se diversae sunt, & qui sibimet ipsis nolunt imponere, inter eas caute distinguere debent. Fieri potest, ut propositionis, in Euclide puta, aut alibi, veritatem persentiam, non tamen revelationem esse a Deo immediate factam; imo, ut sciam, me cognitionem istam modo haud naturali acquirere, ac proinde colligam, esse revelatam. Deum tamen istius autorem esse, haud compertum habeam. Sunt enim Spiritus, qui Dei injussu, *Ideas* istas animo meo ordine ita objicere possunt, ut connexio illarum facile appareat. Quare ex eo, quod enunciatum quodvis, modo mihi ignoto, mentem ingreditur, haud sequitur, illud divinitus esse patefactum. Multo minus, exorta in mente gravi & vehemente persuasione, illud a *Deo*, aut quidem verum esse, infertur. Utcunque igitur ii clarum lumen menti eorum a Deo praeferri ostentent, nihil aliud esse puto, quam conceptam ab ipsis opinionem: Nec enunciatio, quam revelationis nomine dignantur, ejusmodi est, quam certo sciant, sed quam putant esse veram, Ubi enim explorata est enunciationis veritas, ibi frustra est revelatio; nec facile quidem concipimus,

mus, quomodo, quod prius compertum erat, divinitus revelatum esse, dici possit. Si itaque propositio sit, quam veram esse haud certo sciunt, sed cujus veritatem sibi tantum persuadent, palam est, in eo casu haud in iis lumen manifestum, verum opinionis tantum fiduciam inesse. Duo cum hi modi, quibus veritas mentem ingreditur, maxime inter se diversi sunt, nec unus cum altero confunditur. Quod video; illud ita se habere, scio ex rei ipsius evidentia: quod assensu amplector, quæ *fides* dicitur, nititur testimonio alterius: testimonium autem hoc perhiberi, me scire necesse est, alioquin fides ista vacillabit. Nisi compertum habeam, rem divinitus esse revelatam; frustra internum illud lumen ostentatur. Quæstio itaque hæc est: Unde sciam, instinctum hunc esse & afflatum divinum, ac proinde monitis ejus parere me obstrictum teneri? Hoc nisi compertum sit, quæcunque mihi persuasio innascitur, prorsus inanis est, atque omne illud lumen plané *Enthusiasmus*. Sive enim ipsa enunciatio, quam revelatam esse perhibent, manifestam veritatem, sive probabilitatem, seu pro naturali & communi modo cognoscendi ambiguitatem præ se ferat, quod mihi itaque debet perspectum esse, illud nempe revelationem esse divinam, non excogitatam ab alio Spiritû illusionem, aut mentis meæ inane figmentum. Pro vero enim illud idcirco, ni fallor, amplectuntur; quoniam Deum istius auctorem esse extra dubium habent. Annon oportet igitur rationes expendant, quibus inducti illud a Deo revelatum esse putant; alioquin nimiam habebunt sententiæ suæ fiduciam, atque lumen illud, quod mentis oculos ingente fulgore perstringit, *ignis* tantum *fatuus* erit, cujus ductu in circulo hoc semper volventur: *Revelatio est, quoniam esse credunt, & credunt esse, quoniam est revelatio.*

§. XI.

In Enthusiasmo haud liquet, an enunciatum aliquod sit a Deo.

IN omni revelatione divina probandum tantummodo est, eam revera divinitus esse inspiratam: Deus enim neque decipi, nec alios decipere potest. Unde autem sciet quis, propositionem aliquam in nostra constitutam mente esse veritatem a Deo inspiratam? Hic ea, quam *Enthusiasmus* ostentat, evidentia vacillat & claudicat. Præ se enim Enthei isti ferunt, lumine se perfundi, quo in cognitionem perducantur hujus, aut istius veritatis. Sin veritatem esse sciunt, aut sciant, necesse est, per claram istius evidentiam & congruentiam cum lumine rationis; aut per naturalia argumenta, quibus probatur. Quod si sic, frustra revelatam esse jactitant: eam enim veram esse eodem modo sciunt, quo alii omnes, absque revelationis adminiculo. Hoc modo enim veritates omnes, quas homines cognoscunt, qui divino spiritu haud afflati sunt, mentem subiere. Si dicant, scire se rem veram esse, quia a Deo *revelata* est, recte dicunt: rogo autem, quomodo sciant, ita revelatam esse. Si dicant per lumen veritatis in re ipsa elucens & mentem illuminans, & cui resistere nequeunt, Vellem expenderent, annon hoc illud ipsum sit, quod notavimus prius, esse nimirum revelationem, quoniam de veritate istius ipsis persuasum est. Omne enim lumen illud, de quo loquuntur, nihil est nisi vehemens, male autem & absque omni fundamento concepta, de rei veritate persuasio. Credunt esse revelationem non ex alio fundamento, quam quia sibi sunt persuasissimi, hanc esse revelationem. Haud video, quoniam alio modo nos imbui erroribus & implicari facilius sinamus, quam si phantasiæ nostræ dictum ita sequamur, & pro-

propositionem quamvis veram esse, aut, quippiam fieri recte, credamus propterea, quod illud credimus. Persuasionis nostræ vehementia haud rectitudinis istius argumentum est: fieri potest, ut res curvæ haud minus duræ sint & inflexibiles, quam rectæ: utque homines in errore haud minus obstinari sint, quam in vero. Unde alioquin sententientiarum concertationes, & inflexibilis ista obstinatio inter homines diversas sectas sequentes? Si enim lumen illud, quod se habere quilibet putat, quodque nihil aliud est, quam innata menti persuasio, divini instinctus argumentum est, eo modo pugnantes inter se sententiæ dici possunt a Deo inspiratæ; atque ita Deus non solum luminum Pater erit, verum oppositorum plane, quæque, ignium fatuorum ritu, homines in partes contrarias rapiant; adeo, ut contradictoriæ propositiones sint veritates divinæ, si modo assensus vis, licet fundamento destituitur, possit probare, quod propositio quædam sit Revelatio divina.

§. XII.

Persuasionis firmitas haud probat, propositionem divinitus esse revelatam.

Fieri nequit, quin hoc ita se habeat, quamdiu vehemens persuasio pro gravi satis argumento habetur ad rei veritatem probandam. *Divus* ipse *Paulus*, se fecisse recte, & Deo instiganti morem gessisse, putavit, quando Christianos, quos pravis erroribus imbutos fuisse, existimavit, gravia ad supplicia rapuit: ipsum tamen, non eos, errorem tenuisse palam est. Pii homines, sicut alii, erroribus sunt obnoxii, eosque non sine obstinatione animi pro veritatibus, revelatis divinitus, atque in mentem lumen clarissimum inferentibus, amplexantur.

§. XIII.

Lumen in mente quid sit.

LUmen in mente, verum scilicet & non fallax, nihil aliud esse potest, quam cujusvis propositionis liquida & evidens veritas; quæ si per se clara non sit, nullum lumen habet, quam quod iis, quibus nititur, argumentis inest. De alio lumine in mente qui loquuntur, iis caligant animi, & tanquam Tenebrarum Principis imperio subjecti, haud inviti semet ejus illusionibus exponunt, ut credant mendaciis. Si vis enim, atque obstinatio sententiæ lux sit, quam sequi debemus, rogo, undenam nos *Satanæ* præstigias a Sancti Spiritus afflatu discernamus? Ille se in Angelum lucis transformare potest, & qui ductum ejus sequuntur, haud minus persuasum habent, se numen intus sentire, quam alii, qui divino spiritu revera afflati sunt. Ipsi acquiescunt in hoc falso lumine, delectantur eo, & quocunque eos id perduxerit, omnino sequuntur; neque quenquam meliori uti ratione existimant, quam se ipsos, si ex propria ipsorum persuasione firmissima judicaveris.

§. XIV.

Rationis est, de revelatione judicium ferre.

QUi igitur duci erroribus & absurdas sequi opiniones nolit, is *lumen* hoc *internum*, cujus ductu omnia facit, ad rationis normam exigere debet. Deus Prophetam quando instruit, haud perimit, atque omnino delet, quicquid humanum est; Facultates omnes integras ipsi naturali in statu relinquit, ut de inspirantibus ejus, utrum nimirum divinæ sint originis, nec ne, recte judicare possit. Lumen supernaturale in mentem infundens, haud, quod

quod naturale est extinguit. Quando requirit, ut propositionem aliquam pro vera amplectamur, aut veritatem ejus nobis per rationem explicat, aut efficit, ut sciamus, eam esse veritatem, cui vult, ut nos, sola ipsius auctoritate freti, assensum præbeamus. Ad *rationem*, tanquam supremum judicem, in omnibus recurrendum est. Non dico rationis ad normam propositionem ita exigendam esse, ut eam rejiciendam statuamus, nisi per principia naturalia demonstrari possit: & si *ratio*, divinitus patefactam esse, invenit tunc eam, prout alias veritates amplexantur, & regulis suis annumerat (*). Si quis rem quandam veram idcirco tantum putat, quod eam veram esse persuasissimum habet, tunc omnis opinio, quæ penitus menti insedit, divini afflatus nomen obtinebit; & nisi rationi permittatur, veritatem illarum per aliquod opinionibus ipsis extrinsecum metiri & examinare, revelationes divinas a Cacodæmonum præstigiis, & verum a falso distinguere, impossibile erit.

§. XV.

Haud sequitur rem divinitus, revelatam esse ex eo, quod firmiter, credimus, esse revelatam.

SI lumen hoc internum, aut quodvis enunciatum, quod sub nomine isto pro menti nostræ inspirato recipimus, cum rationis principiis consentiat, aut verbo Dei, quod Revelatio est testata; *ratione* satis firmatur, nec inconsentaneum est, ut pro vero illud amplexemur: Sin cum regulis hisce haud congruit, absonum erit, ut verum, multo minus divinitus revelatum esse putemus; donec præter opinionem nostram

(*) Adnotetur iterum, ne vera, Sancta, divina revelatio cum fictitia, falsa, ac Dæmoniaca confundatur.

ftram aliam præ se *revelationis* notam feret. Ita palam est, viros olim sanctissimos, quibus voluntas divina cœlitus erat patefacta, præter insitam animo opinionem, alia habuisse *revelationis* istius indicia, signa nempe externa. Et cum aliorum animos expugnare, eosque ad veritatem adducere tenebantur, data ipsis potestas erat divinæ legationis auctoritatem miraculis firmandi. Vidit *Moses* rubum conflagrantem, non vero flammis absumtum, atque medio ex igne vocem erumpentem audivit. Hoc aliquid amplius erat, quam interna in mente cujusdam impulsus perceptio, ut Pharaonem adiret, ut Tribunales suos Israelitas ex Ægypto reduceret; hoc tamen haud visum est satis, donec Deus per aliud miraculum, virgæ nimirum in serpentem conversæ, ostenderat, ipsum missioni suæ fidem apud eos per simile ostentum conciliaturum, ad quos missus erat. *Gideon* ab Angelo legatus erat, ut *Israelitas a Madianitis* eriperet; signum tamen petiit, quo fieret certior, *Deum* nuntii hujus auctorem fuisse. Ex hisce & multis aliis hujusmodi exemplis, quæ in Prophetarum scriptis passim reperiuntur, emergit haud putasse eos, insitam in mente opinionem, sine alio quovis argumento, divinæ revelationis clarum satis indicium fuisse, etiamsi de requisitis ab iis id genus argumentis haud ubique in sacra Scriptura mentio fiat.

§. XVI. Absit, ut ego hæc perinde dicam, quasi putarem, Deum haud unquam mentibus hominum lumen præferre ad veri investigationem, nec posse, immediatum Spiritus S. afflatum, affectus eorum absque signorum quorumvis adminiculo, ad pie agendum accendere. Eo autem in casu res ad Sacræ Scripturæ & rationis normam exigenda est, ut eo pacto certo sciamus, utrum *divinitus* patefacta sit, nec ne. Ubi veritas, quam amplexamur, cum divina revelatione, aut factum cum *rationis* recte dicta-

ctatis, aut Dei oraculis consentit, certissimi esse possumus, nos nullo in periculo versari, si eam existimamus a Deo inspiratam, quoniam licet forte non sit revelatio immediata, mentibus nostris per extraordinariam Dei operationem instillata, nos tamen confidere possumus, eam propter suam cum veritate, quam a Deo accepimus, congruentiam, esse authenticam. Sed hoc non idem est, ac vis quædam particularis, quam in nobis sentimus, persuasionis, quæ probare possit, quod sit lumen aut motus divinitus accedens. Nihil hoc efficere potest, nisi Dei verborum spiritum, aut Ratio, talis regula, quæ nobis cum omnibus hominibus communis est. Quod si itaque opinio quædam, aut actio evidenter Ratione, aut Scriptura confirmatur, nos eam, tanquam divina auctoritate nixam spectare possumus; nunquam vero nostræ persuasionis firmitas ei hoc criterium conciliare poterit. Mentis nostræ inclinatio huic persuasioni favere potest, eo, quo ipsi visum fuerit, modo, atque demonstrare, illud esse singulare nostri amoris objectum; attamen probare nequit, illud esse aliquid divinitus in nobis productum & divinæ originis.

CAP.

CAP. XX.

De Assensu non recto, sive Errore.

§. I.

Erroris causae.

CUm cognitio nostra rerum tantum sit manifestarum, quaeque oculis obversantur, errores, quibus implicamur, haud cognitioni vitio sunt vertendi, verum judicio; quod rei non verae assentitur. At si assensus in verisimilitudine fundetur; si objectum istius proprium & fundamentum sit probabilitas, atque ea posita sit in iis, quae in superioribus capitibus tradita sunt, quaeretur, undenam fiat, ut homines contra probabilitatem rebus assentiantur: nihil enim pervagatus est, quam sententiarum diversitas; nihil vulgatus, quam ut rem, quae uni plane falsa esse videtur, alius dubiam, alter verissimam esse putet. Cujus rei rationes, etiamsi variae fortasse sint, ad has quatuor, puto, revocari possunt.

1. *Quia nobis argumenta desunt.*
2. *Quia iis commode uti nescimus.*
3. *Quia ad id voluntas deest.*
4. *Quia Mensuris probabilitatis haud rectis utimur.*

§. II.

§. II.

Primo argumenta desunt.

PRimo, per *Argumentorum defectum*; haud eorum inopiam intelligo, quæ cum nullibi existant, haudquaquam reperienda sunt; verum eorum, quæ comparari possunt. Hoc modo argumentis destituuntur, quibus deest opportunitas, ad experimenta facienda circa propositionis cujusvis veritatem; ad colligenda aliorum testimonia & ea expendenda: quo in statu sunt generis humani pars longè maxima; quorum agitur ætas in iis comparandis, quæ ad victum conducunt, atque ad egestatem miseram sustentandam. Horum opportunitates ad scientias & veritatem investigandam non minus angustiæ sunt, quam fortunæ, nec cognitionem amplexari possunt, qui tempus omne consumunt in iis quærendis, quæ necessaria sunt ad placanda ventrum suorum jejunia, aut liberorum famem importunam sedandam. Undenam is, quæ per ævum omne in arte laboriosa occupatus tenetur, ingentem rerum varietatem per terrarum orbem perdisceret magis, quam equus clitellarius, qui per viam angustam ad mercatum tantum agitur, regionis istius Geographiam sciret. Nec magis concipi potest, undenam is, cui otium, libri, linguæ, atque hominum eruditorum commercia desunt, ea testimonia & experimenta colligeret, quæ necessaria sunt ad plurimas, imo plerasque omnes propositiones probandas, quæ in communitate hominum maximi momenti esse perhibentur; aut certitudinis fundamenta tanta reperiret, quantum nobis momentum est, ut, quæ in iis fundantur, opinionibus fidem habeamus. Quare ex hisce rei familiaris angustiis, atque naturali & immutabili hic rerum statu, necessario efficitur, ut maxima pars homi-

minum invincibili argumentorum ignorantia teneantur, quibus aliorum opiniones nituntur.

§. III.

Objectioni respondetur, qua quæritur, quid fiet ab illis, quibus ista desunt,

QUid dicendum est itaque? Num genus humanum maxima ex parte, ex conditionis suæ infortunio, in rerum ignoratione necessario versatur, in quibus tamen ad bene vivendum momenta sunt maxima? De his itaque quæramus, consentaneum est: Num ingens ista rudium hominum multitudo non alium, præter cæcum & fortuitum casum, aut ad beate misere vivendum, ducem habent? Num receptæ communiter opiniones, & constituti in regionibus singulis sacri ductores sufficiunt, quorum ex ducto homines secure pendeant in rebus omnibus sempiternam beatitudinem, aut miseriam spectantibus? Num etiam ii infallibilia veritatis oraculæ dicendi sunt, qui aliud in *Orbe Christiano*, aliud in *Mahumetano* docent? Numquid viri rudes & agrestes in sempiternorum beati erunt, quod ipsis contigerit in *Italia* nasci, aut rustici nostrates æternum proterea peribunt, quod iniquo sidere editi in *Anglia* nati fuerint. Quædam ex hisce quam crebro a multis dicantur, haud nostri hic instituti est quærere; hoc certo scio, teneri eos necessario horum alterutrum concedere, aut fateri, Deum abunde satis facultatum hominibus tribuisse ad vitæ regimen, si modo cum vacui sunt laborum, iis recte uti velint. Nemo vitæ hujus negotiis impeditus adeo est, qui ipsi tempus suppetat ad majora hæc æque forent attenti, ac sunt ad minora rerum momenta, neminem res familiares occupatum adeo & sollicitum tene-

nerent, quin per laboris otium in utili hac cognitione proficere posset.

§. IV.

A vero inquirendo homines avocantur.

PRæter eos, qui in vero exquirendo rerum angustiis impediuntur, alii sunt, quibus satis est divitiarum ad libros, atque alia adjumenta comparanda, dubiorum explicandorum & veritatis investigandæ causa: eos tamen deterrent, & ab incepto hoc avocant patriæ leges, atque hominum turmæ, quorum interest, eos in ignorantia continere, ne plura scientes, in eorum verba minus jurarent. Hi longius absunt a libera veritatis inquisitione, quam memorati superius miselli operarii. Et licet viri sibi videantur magni, cognitiones tamen in angustum concluduntur, atque in parte ea, quæ maxime libera esse debet, intellectu nimirum, servitutem patiuntur Hæc eorum ut plurimum sors est, qui in locis degunt, in quibus in illud diligenter incumbunt, ut veritatem sine cognitione propagent; in quibus homines tenentur necessario religionem patriam amplexari; & receptas publice opiniones haud secus recipere, quam imperiti solent Empiricorum potiones, nescii nimirum quid sint, aut quomodo operaturæ, & quibus nihil aliud incumbit, quam credere, in iis morbis satis efficax remedium inesse: in hoc vero iis longe miseriores sunt, quod non liberum sit ipsis, quæ libenter vellent, aspernari; aut, cujus ductum sequi præoptarent, mendicum eligere (*).

§. V.

(*) Plura a Deo revelata, & miraculis, ut Lockius ipse dixit, perclare demonstrata veritates sunt, de quibus iniquum est dubitare. Non est omnibus datum, hoc scire, per consequens Sacerdotes illud enunciant, & qui nesciunt, in revelationem, criticam instituere, eam recte prædicantibus debent credere, & hæc fides est ratione dictitata.

§. V.

Secundo, quia argumentis uti nescimus.

SEcundo, ii omnes, *qui argumentis, quae habent, probabilibus* uti nesciunt, qui consequentiarum seriem immensam nequeunt simul intueri, nec argumenta, aut testimonia contraria accurate ponderare, ita, ut singulis circumstantiis vis sua tribuatur, facile duci possunt, ut enunciationibus non verisimilibus assentiantur. Nonnulli sunt, qui unum, quidam duos capiunt syllogismos, non plures; alii ad tertium usque progrediuntur. Hi non semper intelligere possunt, quanam ex parte maxima vis argumenti sit, nec opinionem maxime probabilem sequi. Inter intellectus hominum tantum esse discrimen, nemo, puto, inficiabitur, qui generis humani consuetudine usus est: etiamsi neque hic *aulam Westmonusteriensem*, aut *basilicam mercatoriam Londinensem*; neque illinc *ptochotrophia, aut nosocomium maniacorum* unquam inviserit. In humana intelligentia unde magnum hoc discrimen, utrum nimirum a defectu quodam oriatur in corporis organis, quatenus ad cogitandi munus peculiariter conformata sunt; aut facultatum ipsarum hebetudine, usu nimirum & exercitatione haud assuefactarum; vel, prout nullius videtur, ex animarum ipsarum naturali discrimine; aut ex horum nonnullis, aut omnibus simul sumptis, quaerere hic non magni refert: Hoc vero liquet, quod ad intelligendi, concipiendi, & argumentandi vim attinet, inter homines tantam esse differentiam, ut in genus humanum haud injuriosus esset, si quis diceret, quosdam intelligentia alios magis anteire, quam hi bestiis antecellunt. Unde vero hoc? etiamsi ea contemplatio non parvi sit momenti, ad nostrum tamen institutum non spectat.

§. VI.

§. VI.

Tertio, quia voluntas ad illud deeſt.

TErtio, aliud genus hominum eſt, quibus *argumenta deſunt*, non quia inveniri nequeunt, verum *quia iis uti nolunt*: licet hi otium, nummorum & ingenii facultates abunde magnas, atque alia habeant adjumenta, hæc omnia tamen fruſtra ſunt. Quoſdam flagrantes & indomitæ cupiditates, aut duri, aſſiduique labores a cogitationibus hiſce melioribus avocant; in aliis ſocors, & negligens natura in genere, aut ingenium a libris, ſtudio, & meditatione peculiariter averſum, in cauſa ſunt, quod de rebus ſeriis nunquam cogitent: atque alii metuentes, ne judices ſervari opiniones reprehendant, quæ ad præjudicia ipſorum, conſilia, & vitæ rationem maxime accomodatæ ſunt, ſine ullo examine amplexantur, quicquid commodum videtur, & a moribus patris non alienum. Hoc modo plerique, & ex iis plurimi, qui ſecus agere poſſunt, per totius vitæ curriculum multa probabilia haud cogitatione complectuntur, nedum iis rationalem præbent aſſenſum, quorum cognitio ipſis perutilis eſt, etiamſi in conſpectu eorum ita poſita ſunt, ut facile cognoſcantur, aciem tantummodo oculorum ad ea dirigendo. Novi homines, qui epiſtolam legere detractant, quam novi quid ingrati afferre putant, nonnulli rationes ſuas in ordinem conficere, aut de patrimoniis cogitare verentur, qui res ſuas in loco difficili eſſe ſuſpicantur; demiror, undenam illi, quibus otioſa eſt libertas, & divitiarum ſatis ad animum excolendum, in ſocorde & negligente ignorantia acquieſcere poſſint: mihi quidem animas ſuas vili pendere videntur, qui, non niſi ad obſequium & indulgentiam corporis attendentes, facultates omnes in illud impendunt, nihil vero in animæ cultum, qui curæ habent orna-

tum exteriorem, & miseros se putarent, si pannosi aut male vestiti in publicum prodirent, haud erubescunt tamen in hominum se dare consuetudinem etiamsi animum nullius bonis artibus, nec aliis rebus induerint, nisi centonibus, atque amictu sordido & illiberali, hoc est, opinionibus, quas a viris imperitis, &, quibuscum consuetudo erat, plebejis didicere. Non hic pluribus dicam, quam indignum illud sit hominibus, qui venturi alicujus status fortisque in eo olim obtinendæ humanæ habent rationem quippe quam cognitionis particeps non potest interdum suscipere: nec, quam turpe sit, scientiarum maximis contemtoribus, res ignorare, quas tamen cognoscere haud parvi refert. Hoc vero saltem ab iis considerandum est, qui generosos, ac nobiles semet appellant, utcunque putent existimationem, famam, potentiam, & auctoritatem eos semper manere, qui bene nati, atque opulenti sunt, reperient tamen, hæc omnia commoda ipsis a deterioris sortis hominibus auferri posse, qui sunt uberiore rerum scientia instructi. Qui cæci sunt, ad illorum, in quibus usus est oculorum, ductum semet applicabunt alioquin in fossam decidant necesse est; & certe is mancipatus maxime & subjectus est, cujus intellectus jugum alterius subiit. In memoratis superius exemplis, assensus erronei causas quasdam monstravi, atque unde fiat, ut opiniones probabiles assensum non semper reperiant æqualem rationibus, quæ verisimilitudinis earum reddi possunt; hactenus vero de iis tantum verisimilibus dictum est, quorum argumenta, etsi existant, non tamen ab eo cernuntur, quo errorem istum amplectitur.

§. VII.

§. VII.

Quarto, mensuris probabilitatis non rectis utimur, cujus generis sint.

QUarto, Ultimum genus est eorum, qui ubi verisimilitudo apparet, & clare proponitur; haud cedunt tamen argumentis, verum aut assensum ἐπέχειν, sive suspensum tenere solent, vel quod minus probabile est, sequuntur. In hoc periculo versantur ii, qui *mensuris probabilitatis haud rectis* utuntur: hujusmodi sunt.

1. *Propositiones non in se certæ & evidentes*, verum *dubiæ & falsæ*, *principiorum tamen loco usurpatæ*.
2. *Receptæ hypotheses*,
3. *Affectus & motus animi impotentes*.
4. *Auctoritas*.

§. VIII.

Primo, *propositiones dubiæ pro principiis sumtæ*.

PRimo, Primarium & firmissimum probabilitatis fundamentum, est rei cujusdam cum cognitione nostra conformitas; ea præsertim, quam amplexati sumus, & pro principiis habemus. Hæc opiniones nostras eousque regunt, ut iis veritatem & verisimilitudinem metiamur, & quod cum *principiis* haud congruit, illud haud probabile, imo, plane impossibile esse, putemus. Quæ *principiis* hisce vulgo attribuitur reverentia, & auctoritas tanta est, ut tantummodo aliorum testimonia, verum sensuum etiam nostrorum evidentiam aspernemur, quando a receptis communiter regulis hisce dissident. Quousque

hos sis sit vertendum vitio, qui docuere, dari *principia* ingenita, *principia* non esse probanda, aut vocanda in dubium, non hic perquiram: hoc libenter dabo, veritatem unam non pugnare posse cum alia, cavendum tamen puto, ne quid temere in *principiorum* numerum cooptemus; discutiendum illud diligenter est, & videndum, utrum quod per se verum & manifestum est, recipiamus, an vero aliorum tatum auctoritate nitamur. In illius enim mente nimia est præjudicatio, nimia ad partem alteram inclinatio, & quæ assensum ejus a vero prohibebit, qui *principiis* haud rectis imbutus est, & *opinionis* cessit auctoritati, haud in se manifesto veræ.

§. IX. Nihil magis quotidianum est, quam ut *parvuli* propositiones (circa rem religionis præsertim) a parentibus, nutricibus, aut aliis discant; quæ in mentes incautas, & omnibus adhuc præjudiciis liberas receptæ, & paulatim altius penetrantes, tandem ibi (veræ sint an falsæ, perinde est) per diuturnæ consuetudinis, & educationis vim defiguntur, ita, ut evelli iterum nequeant. Homines enim ætate jam provecti, ad opiniones suas respicientes, & hujusmodi omnes eandem, quam ipsa memoria ferre ætatem deprehendentes, nec videntes, quomodo mentem primum sint ingressæ, pro sacris eas habere solent, & tanquam *Urim* & *Thummim* immediate a Deo in mente positas esse putant, ut ad eas recurratur, tanquam veri & falsi, & controversiarum omnium arbitras.

§. X. Cum opinio hæc de *principiis* (quæcunque ea sint) *in mente cujuspiam inveteravit*, facile est videre, quomodo propositio quædam, quacunque etiam ratione fuerit probata, sit recipienda, si istorum convellet auctoritatem, & cum internis hisce oraculis pugnabit: econtrario absurda omnia & veri dissimillima, quam facile fidem sint inventura, si cum principiis hisce consentiant. Quanta in discepta-

ptationibus nostris a receptis communiter traditionalibus hisce principiis absurda oriantur, ex ea videre est obstinatione animi, qua contrarias plane opiniones, etiamsi fortasse æque ineptas, homines, in diversis religionum sectis, amplexantur: apud quos nimirum familiare est, experientiæ suæ, & sensuum testimonio nuncium potius remittere, quam rei cuipiam cum sacris hisce dogmatibus pugnant, habere fidem. Et qua ratione quis ejusmodi hominem improbabilis, quam fovet, opinionis convincere poterit, qui, cum quibusdam Philosophis, fundamenti loco in ratiociniis suis ponit, quod credere debeat suæ rationi contra sensuum testimonium? Eodem modo, cum *Fanaticus* semel principii loco assumsit, se aut ipsius doctorem divino afflatum esse, numine sanctoque agitari Spiritu, frustraneum omne erit studium, ad ejus dogmata evidentissimis rationibus destruenda adhibueris. Quocirca qui falsa imbiberunt dogmata, in iis rebus, quæ principiis his contradicunt, validissimis etiam argumentis non prius ex erroribus eripi poterunt, quam secum ita ingenue agant, ut principia ista expendant, atque examinent, quam tamen cogitationem plurimi per totam vitam non suscipiunt.

§. XI.

Secundo, *recepta hypothesis*.

SEcundo, post hos ii recensendi sunt, quorum intellectus typo & exemplari *receptæ* cujusdam *hypotheseos* affixus ac conformatus ab eo ne latum unguem recedit. Hi a prioribus istis in hoc discrepant, quod, licet cum adversariis de eo, quod factum est consentiant, alias tamen rationes, & diversam modi operandi explicationem afferant. Hi sensuum testimonia haud aperte adeo repudiant, ac superius me-

morati isti; licet vero ab iis erudiri patientius paulo ferant, quæ tamen ita recipiuntur, nolunt ad rerum explanationem adhiberi; nec argumentis probabilibus adduci possunt, ut credant, res aliter ita evenire, quam ut ipsi putarunt. Et certe nonne res magni essent momenti, nec a professore erudito ferenda, verum quam purpura ejus erubesceret, ut auctoritatem ejus quadragenariam fortasse, ex veterum Græcorum & Latinorum Scriptorum monimentis, non sine oleo & opera multa elucubratam traditione generali, & veneranda barba confirmatam, novitius aliquis, nec in republica literaria antea notus subito convelleret; atque ipse fateri cogeretur, quas discipulos per annos quadraginta docuerat, erroneas esse opiniones; & se verba difficilia & ignorantiam plurimo iis vendidisse? Quæ argumenta probabilia animum ejus inducent unquam, ut, veteribus opinionibus repudiatis; & scientiarum ostentatione, quas studiis severis per omne vitæ suæ spatium acquisivit; is, plane confessus, se post lucubrationes omnes literarum esse expertem ad notiones novas quærendas semet accingeret? Quævis argumenta non pluris apud eum valebunt, quam rapidissima apud viatorem venti vis, ad penulam ejus extorquendam, quam, crescente impetu venti, arctius & tenacius attrahit. Ad hæc de hypothesi falsa, dicimus, errores revocandi sunt, qui nascuntur ex *hypothesi* vera, sive rectis principiis, non recte vero intellectis. Vulgare hoc & quotidianum est. Magna exemplorum copia ab iis suppeditatur, inter quos infinitæ & concertationum plenæ disputationes sunt, de opinionibus contrariis, quas ex infallibili scripturæ veritate omnes hauriunt. Omnes, qui Christianos se vocant, per locum istum, qui dicit *μετανοεῖτε*, grande sibi munus injunctum esse fatentur, Quod ad praxim vero attinet, alterutrum eorum necesse est, qui non aliam, præter Gallicam, lin-

guam

guam scientes, regulam hanc juxta alteram versionem putant esse *repentez vous*, resipiscere; juxta alteram, *faitez penitence*, pœnitentiam agite.

§. XII.

Tertio, *affectus & motus animi impotentes*.

TErtio, Idem dicendum est de argumentis probabilibus, quæ dominantibus in nobis *affectibus* repugnant. In argumentatione, qua avarus utitur, sit ex una parte quæstionis probabilitas, ex altera pecunia; quæ sit præponderatura, facile est videre Mentes terrenæ, sicut muri lutei, impetus validissimus immotæ excipiunt: & licet vis evidentis argumenti impressionem nonnunquam faciat, animum tamen obfirmantes, hostem suum, veritatem repellunt, quæ mentem captivam ducere, aut perturbare conatur. Dicat quis homini puellam quandam perdite amanti, eam fallacem esse: producantur super ea re multi testes, si ea blande ipsi palpabitur, mirum est, ni hoc satis erit ad refellenda eorum testimonia. *Quod volumus, facile credimus*, dictum est, quod verum esse, nemo non sæpius expertus est. Et licet, quæ contra eos facit, verisimilitudinem homines haud aperte semper rejicere possint, argumento tamen victas dare manus tergiversantur. Non quod intellectui haud naturale sit, quod verisimillimum est sequi semper, verum penes hominem est, inquisitionem ejus retardare, & non permittere, ut omnia plene expendantur, quæ ac rem pertinent, in quæstione positam. Donec factum hoc fuerit, *modi duo relicti semper erunt ad clarissimæ probabilitatis vim declinandam*.

§. XIII.

Modi argumentorum probabilium vim declinandi. 1. Si suspicio est, fallaciam iis subesse.

PRimo, quod argumentis, cum, (ut plerumque solent) vocibus *traduntur*, *fallacia subesse possit*: cumque longa, fortasse, series sit consequentiarum, fieri potest, ut quædam haud apte inter se cohæreant. Pauca admodum sunt argumenta ita concisa, perspicua & sibi consentientia; de quibus plerique hanc, sine ullo scrupulo, dubitationem haud admittere possint; & quorum vim ac robur, sine probitatis, aut ingenuitatis læsæ reprehensione; effugere nequeunt, vetus illud responsum modo usurpantes, *non persuadebis, etiamsi persuaseris*.

§. XIV.

2. Si suspicio est, multa adhuc restare argumenta in contrariam afferenda partem.

SEcundo, Argumentorum verisimilium vis eludi, atque assensus ex eo cohiberi potest, quod homines suspicentur, *non omnia adhuc sciri*, *quæ ex altera parte afferri possent*. Licet itaque impar quis cum hoste congrediatur, haud necesse tamen est se victum fateatur, cum nesciat, quæ ignota adhuc subsidia comparari possint. Hoc ad vitanda adversariorum argumenta, tam late patet perfugium, ut litigantes extra ambitum ejus haud facile deprehendantur.

§. XV.

§. XV.

Quæ argumenta probabilia assensum determinant.

HArum tamen controversiarum finis est & terminus aliquis, & cum quis, omnibus, quæ utrinque dici possunt, diligenter perpensis, argumentorum summam confecerit, quæ pars verisimillima sit, haud difficile erit invenire: quo in casu, argumenta quædam, in experientia universali fundata, tantam vim habent, & testimonia quædam de rebus factis adeo sunt universalia, ut assensum iis denegare nequeant, Quare concludendum puto, in propositionibus, in quibus, etiamsi, quæ intuemetur, argumenta maximam vim habent, si tamen rationes sint, cur credamus, aut vocibus subesse fallaciam, aut argumenta non minus valida ex altera parte afferri posse, ibi assensio, suspensio sive hæsitatio, & refragatio, sæpe sunt actiones voluntariæ: ubi vero argumenta ejusmodi sunt, ut rem probabilem reddant, nec est, cur suspicamur, aut fallaciam verbis inesse (quod vir perspicax facile inveniet), aut argumenta non minus gravia ex altera adhuc parte latere (quod etiam rei ipsius natura, quibusdam in casibus, viro cordato planum facere poterit), ibi, puto, is, a quo argumenta sunt examinata, vix *assensum* parti negare poterit in qua maxima est probabilitas. Cum quæritur, utrum probabile sit, ex literis, confuse huc illuc, & nullo ordine jactatis, orationem concinnam, & ornatam; aut ex cæco & fortuito atomorum concursu animal quodvis venustum oriri posse, in his & similibus quæstionibus, quid tenendum sit, nemo, puto, sapiens dubitabit. Postremo cum (in re nimirum ex natura sua indifferente, & testium fide nitente) dubitari nequit, utrum pro re narrata, an contra eam meliora testi-

stimonia afferantur; quod percontanda discimus, *v. g.* utrum lapsis jam plus quam mille septingentis annis in *Romæ* vixerit, quem *Jul: Cæserem* appellamus: hic assensum suum tenere suspensum vir cordatus non audebit; verum id genus verisimilia omnia necessario amplexabitur. In rebus minus claris, puto, is sustinere poterit assensum, & fortasse, quæ habet, argumentis acquiescere; si modo commoda sint, & cupiditatem ejus expleant. Ut vero quis assensum rei præbeat, quæ minus probabilis est mihi æque fieri posse videtur, ac si quis rem eamdem probabilem simul, & improbabilem habere vellet.

§. XVI.

Assensum quando cohibere possumus.

UT cognitio haud magis arbitraria est, quam perceptio, ita neque assensus nostro magis relictus est arbitrio, quam cognitio. Quando duarum quarundam *idearum* convenientiam mens, aut immediate, aut per ratiocinium, percipit, æquæ minus mihi liberum est, illud percipere, vel non percipere, ac utrum objecta videre velim, nec ne, quæ ad meridiem apertis oculis intueor; &, quod diligenter expensum verisimillimum mihi videtur, non possem non isti assentiri. Etiam vero cognitionem nostram cohibere nequimus, uni convenientia semel percipitur; neque assensum, ubi, perpensis omnibus probabilitas plane apparet: *Possumus tamen tam cognitionem, quam assensum nostrum impedire, facultates nimirum animi a veri inquisitione abstinendo.* Res nisi ita se haberet, nullum esset in ignorantia, errore, aut infidelitate crimen. Palam itaque est, nos in

in casibus quibusdam assensum sustinere posse; non quis vero in recentiori, aut antiquiori historia, vel tantillum versatus, dubitare potest, an urbs sit, quæ *Roma* dicitur, aut vir extiterit nomine *Julius Cæsar*? Sunt equidem veritates innumeræ, de quibus nostrâ haudquaquam quærere refert; utrum, verbi gratia, Rex noster *Richardus Tertius* gibbosus fuerit, nec ne; utrum *Rugerus Bacconus* in Mathematicis tantum, an arte etiam magica fuerit peritus. In hisce & similibus rebus, ubi assensus nullius & ad bene beateque vivendum momenti, non mirum est, si mens communem sequatur opinionem. Hujusmodi opiniones ad emolumenta nostra tam parum spectant, ut ad eas mens haud attendat magis, quam ad *atomos*, fortuito quasi, in radiis solis fluctuantes. Ubi vero mens judicat esse in propositione insigne aliquod momentum, adeo ut ab ejus vel assumtione, vel rejectone felicitas, aut miseria proficiscatur & dependeat, ibi nequimus, cui malumus, pari assentiri, si altera verrisimilior multo videtur. Ubi maxima apparet probabilitas, ibi ab assentiendo non magis abstinere potest, quam a veritatem cognoscendo, ubi duarum quarundam *idearum* convenientia, aut repugnantia cernitur.

Hoc si ita se habeat, consequens erit, erroris fundamentum nasci ex falsis probabilitatis mensuris, sicut vitii fundamentum in recti & honesti mensuris haud rectis positum est.

§. XVII.

§. XVII.

Quarto auctoritas.

QUarto, ultima *probabilitatis mensura haud recta*, & quæ plures in ignorantia & errore retinet, quam reliquæ omnes, ea est, de qua in superiori capite mentio facta est, *assensio nempe ista, quâ opiniones omnes* amplexamur apud amicos, vicinos, populares nostros, aut eos, qui ejusdem nobiscum sectæ sunt, communiter receptas. Quis nescit, quam multi sint, quorum opiniones non aliud habent fundamentum, quam probitatis existimationem, eruditionem, aut numerum eorum, qui institutionem & disciplinam istam sequuntur? Hoc quam ineptum est putare, viros probos, aut eruditos non posse errare; aut veritatem pendere ex suffragiis multitudinis? quod plerosque vero res ita se habet. Sententiam hanc veneranda antiquitate receptam, plurimi, inquiunt, ad nostra usque secula comprobarunt, quare eam tenere convenit. Qui dogmata sua temere hoc modo recipiunt, absurdius mihi facere videntur, quam si aleæ jactum incertum sequerentur. Omnes errori sunt obnoxii, & plerique pravi affectibus, & turpi rerum emolumento capti, in periculo sunt, ne in eum incidant. Si nobis abdit, animorum recessus palam intueri liceret; perspicuum foret, viros eruditos, & magni nominis hæresiarchus, aliis emolumentis, quam veritatis illius illecebris adductos, dogmata sua initio in vulgus sparsisse. Hoc saltem certissimum est, nullam esse opinionem absurdam adeo, cujus amplexandæ non hæc ratio reddi queat. Nullum recenseri potest dogma ineptum, quod non professores suffragatores habuit: nec fieri potest, quin is, erroribus semper sit implicatus, qui se haud errare posse putat, quamdiu aliorum vestigiis insistit.

§ XVIII.

§. XXIII.

Non in hominibus tot sunt opiniones falsæ, quot vulgo putantur esse.

ETiamsi vero de erroribus, & opinionibus in mundo crebra est mentio, in genus tamen humanum injuriosus forem, nisi dicerem, *inter homines non tot esse opiniones falsas, quot vulgo putantur*. Non quasi eos putem verum semper amplexari, sed quoniam de iis dogmatibus, circa quæ tot sunt conceptiones, neque cognitionem ullam, neque omnino opinionem habent. Si quis enim a plurimis, qui aliorum sectam sequuntur, eorum, de quibus vulgo digladiantur, dogmata percontaretur, videret, eos nullam omnino opinionem mente concipere; multo minus, argumentis utrinque diligenter perpensis, quod maxime probabile est sequi. Hi apud animum suum statuerunt sectæ adhærescere, in quam educatio ipsos aut rerum suarum opportunitas & commodum conjecit; atque ibi, gregariorum more militum in exercitu, ductorum imperia animose, & fortiter exequi in causam, de qua contenditur, nunquam inquisituri. Si ex moribus hominis & vita licentiori patet, rem religionis non serio ipsi curæ esse; undenam nos putaremus, Ecclesiæ suæ opiniones animum ejus sollicitum habere, eumve anxium fore, & diligentem in hujus, aut illius dogmatis ratione perscrutanda? Huic satis est, iis morem gerere, quorum imperio subest manum & linguam promptam habere, ad communem causam defendendam, atque ita iis gratificari; qui ipsi dignitates & honores impertire, atque in communitate ista securitatem præstare possunt. Hoc modo homines dogmatum professores fiunt, & propugnatores, ad quorum examen, aut cognitionem animum nunquam appulerunt: &, licet haud dici possit, in mundo pauciores esse improbabiles, aut

non veras opiniones, quam sunt, hoc tamen certo certius est, qui actu iis assentiuntur, & pro veris habent, pauciores esse, quam vulgo creditur.

CAP. XXI.

De Scientiarum Divisione.

§. I.

Triplex est.

CUm, in nostram intelligentiam quæ cadere possunt, omnia sint vel, *Primo* rerum natura, prout in se, relationibus suis, atque operandi modo spectantur: aut *Secundo*, quod ab homine, rationis nimirum & voluntatem præsertim, consequendum; aut *Tertio*, modi, quibus harum rerum cognitionem consequitur, & cum aliis communicamus; *Scientia*, ut mihi videtur, in tria *hæc genera* apte dispertiri potest.

§. II.

Primo Physica.

PRimi generis est rerum cognitio, quatenus in se, & secundum temperationes suas naturales, proprietates, atque operationes, spectantur, ubi non materiam tantum, atque entia corporea intelligo; verum spiritus etiam, qui sibi proprias naturas, constitutiones, atque operationes æquæ habent, ac entia corporea. Hanc, voce latius paulo sumta, φυσικὴ voco, sive *Philosophiam Naturalem*. Hujus finis

finis est veritas speculativa; & quæcunque eam promovent, sive *Deus* sit ipse, Angeli, Spiritus, Corpora, aut horum attributa quædam, uti numerus, & figura, &c. sub hoc nomine complectimur.

§. III.

Secundo, Practica,

SEcundo, Πρακτική Scientia nempe facultates & actiones nostras dirigendi recte, ad res bonas & utiles consequendas. In hac classe principem locum *Ethica* obtinet, cujus est, actionum humanarum, quæ ducunt ad felicitatem, normas & mensuras, atque iis recte utendi modos investigare. Hujus finis non est nuda speculatio, atque veritatis cognitio; verum rectum & honestum, atque hinc congruum vitæ regimen.

§. IV.

Tertio Σημειωτική.

TErtio, tripartitæ hujus divisionis pars ultima dici potest Σημειωτική, sive *doctrina signorum*, quorum cum vocabula sint maxima usitata, haud improprie dicitur λογική, Logica; cujus officium est signorum naturam contemplari, quibus mens utitur ad res cognoscendas, aut conceptus suos aliis interpretandos. Cum enim rerum, quas mens intuetur, nullæ, si ab illa ipsa tantum discesseris, intellectui præsentes adsint, necesse est, ut aliud quid, tanquam rei istius signum & repræsentatio, coram isti adsit: Atque hoc *idearum* munus est. Quoniam vero *ideæ* in mente unius constitutæ alteri immediate conspiciendæ non proponi, nec alibi conservari possunt, quam in memoria, unde, cum admodum debilis sit, facile excidunt: Ideoque tam ad *ideas* nostras cum aliis

aliis communicandas, quam ad eas in usum nostrum in memoria recondendas, signa *idearum* etiam necessario requiruntur. Quae commodissima esse deprehenduntur, & proinde maxime usurpantur, sunt soni articulati. *Idearum* itaque & *vocabulorum* consideratio, prout scientiarum instrumenta sunt, iis magnopere curae esse debet, qui studia sua ad humanae cognitionis ambitum universum extendere volunt. Etsi, fortasse, ea extensa diligenter & examinata forent, diversam longe ab ea, quae inventa est hactenus, Logicam nobis & Criticam praeberent.

§. V.

Haec prima est divisio objectorum cognitionis.

HAEc mihi videtur tam *prima esse, & generalissima, quam naturalis divisio* objectorum intellectus. Cogitationes enim nostrae circa nihil versari possunt, nisi vel circa rerum ipsarum contemplationem ad verum inveniendum, aut res in potestate nostra sitas, quae sunt *actiones* nostrae ad destinatos fines consequendos; aut *signa*, quibus in utroque casu mens utitur, atque illorum aptam dispositionem, ut res eo clarius percipiantur. Haec tria, *res* nempe quatenus in se se sciri possunt: *actiones* quatenus a nobis dependent, in ordine ad felicitatem; atque rectus *signorum* usus, in ordine ad cognitionem, cum inter se *toto caelo* distent, mihi videtur tres esse partes Orbis intellectualis, sejunctae penitus & a se invicem divisae (*).

AP-

(*) Nos in opere nostro *Stato Attuale delle Scienze* nuncupato scientias dispescimus, & in illas quae, ex Mundo sensibili emergunt, & in illias quae ex Mundo intellectuali habentur. De quo videri potest ib.



APPENDIX

A P. SOAVE APPOSITA

Critica in Leibnitii Systema, ac ipsius Confutatio.

AD hujus operis terminum perventi Leibnitii criticam in Lockii humani intellectus tentamen factam haud omittendam esse, putamus. Hujus criticæ articula circa Lockii sententiam, quæ in oppositione cum systemate Leibnitii sunt, potissimum versantur. Ad animæ immaterialitatem sustinendam de qua Lockii dubitat, & ad ideas innatas demonstrandas, tanquam e proprio ab anima erutas, nec non ad axiomata ipsa a Lockii spretu vindicanda, hic inquit Leibnitius, potissimum pertendo. Hominis individualitatem, pergit ipse, in simplicis substantiæ duratione consistere: animam semper, continuoque cogitare: nullum extare vacuum, vel atomos; & materiam vel quid passivi, nisi Deus substantiam ei cogitantem inhæreat cogitare non posse, defendo. Hinc nos, cum in systemate sint omnia, excepta animæ immaterialitate, de qua disputavimus (*a*), cum systemate ipso corruent, si ipsius falsitatem demonstramus. Quapropter, duce *Condillac*, qui hac super re est luculentius disputatus, examen Leibnitii systematis, ac ejus confutationem exponimus.

Systema Leibnitii.

I. Sunt composita, inquit Leibnitius, ergo sunt adhuc entia simplicia in natura rerum. Hæc figura, extentione carent, neque a loco ad locum transferre, vel locum occupare possunt. Et *monades* appellantur. 2. Monades perfecte similes dari nequeunt; cum nequeant locum occupare, neque per locum ipsum distin-

(a) *V. Med. in Loch. tom. III.*

gucrentur. 3. Extensio, figura, locus, motus nulli ex monadibus conveniunt, per consequens nec ipsarum aggregationi. omnia hæc non sunt quam *phænomena*, vel *apparitiones*, ut *colores* 4. *Extensionem* percipimus, quatenus nobis perceptiones præsentant res, unam extra aliam. & ut extra nos positas. Si hæ res nobis præsentantur, ut eundem ordinem servantes, *quietis*, si variationem, *motus* idea habetur. 5. Ex motus idea *spatii* idea emerget. Concipi nequit mobilis, ac impenetrabilis extentio absque alia fixa, ac penetrabili in qua moveatur. Expostulat, an spatium vacuum vel plenum sit? Est simplex apparitio, per consequens non est neque vacuum, neque plenum. Pergit, sunt ne corpora? Minime, inquit. Si per corpus quid reale extensum intelligitur; si porro quid in apparitione extensum per corpus ponitur, adsunt profecto. 6. Omnia sunt, vel fiunt *ratione sufficiente*, ergo quid *analogi* hic apparitionibus debet existere. Quando igitur extensionem continuam percipimus, inter monades immediate relationes aliquo modo ei, quod nobis nostræ perceptiones præsentant, analogæ realiter existunt, sed eo modo, quo non existunt monades perfecte similes, sic duo monadum aggregata, quæ possint easdem relationes habere, nequeunt existere. 7. Ut monadis ideam acquiramus, satis est per exemplum sumere quod nostræ animæ habemus, nimirum simplicis substantiæ quæ perceptiones habet. Harum perceptionum principium ab extrinseco nequit venire, cum monas simplex sit, est incapax in propria substantia ab extrinseco mutationem recipere: ergo a vi intrinseca oriuntur, vel a vi, qua monades sunt ad agendum præditæ, quæ cum nequeat impediri, evenit quod realiter agat, & continuo mutationes habeat, ac perceptiones. 8. Cum monades nequeant unam in alteram agere, quælibet ex se ipsa operatur. Nihil obstat ideo, quod earum actiones sejunctæ quasdam relationes inter se habeant, & omnes ad communem finem tendant. En *Universi harmonia*. 9. Hujus harmoniæ auctor Deus est, sed non ideo a se sunt omnis substantiæ mutationes determinatæ, ut simul conveniant, sed consuluit id quod unicuique evenire debebat ratione vis ei propria, & conjunxit eos, quarum mutationes jungi debebant. 10. Eo modo, quo ex plurium monadum aggregatione *corporis* phænomenon oritur, sic ex suarum virium aggregato vis *motricis* apparitio, vel phænomenon habetur. Hæc vis motrix constituit naturam & principium omnium mutationum quæ ipsi corpori accidunt. Eadem semper est, adhuc quando corpus in quiete videatur, nam monades eam componentes nequeunt unquam aliquid suæ vis omittere. Quantitas vis est interdum in universo constans, ac eadem. 11. Quamquam ad eundem finem vires omnes tendant, tamen non

æque

æque omnes tendunt, & videntur una alteri obstare, hic phænomenon vis *inertiæ*, vel *resistentiæ* oritur. Ut ergo fiat completa corporis notio, ideæ extensionis, mobilitatis, impenetrabilitatis adjungi debet ideam vis motricis, & vis inertiæ. 12. Si a vi motrice inertia abscindatur, *materiæ*, idea habetur, si uni ò virium motricium sola consideratur, habetur idea *Naturæ universalis*, principii nimirum omnium phænominorum in universo. 13. Modo quo, non movetur corpus, omnia reliqua corpora non movendo, si pleno Cartesii daretur realitas, monades, etsi ad invicem non agant, per harmoniam præstabilitam, cujusdam mutatio semper relativa est illi reliquarum omnium. Omnis ergo mutatio, vel quælibet monadis perceptio, repræsentat relationes quas habet cum omnibus reliquis mutationibus. Et sicut omne est in Universo conjunctum, elapsum cum presente, presens cum futuro; sic eadem perceptio uno tempore repræsentat & elapsum, & præsens, ac futurum; idea perfecta universi haberetur hic, si actualis status unius monadis perfecte posset internosci: non ideo omnis monas eodem modo universum præsentat, sed quælibet juxta relationes cum aliis habitas. Nec etiam est aggregatum ex monadibus nimis compositum immediate ex monade simplici repræsentatum, sed ex aggregato minori, hoc ab alio, & sic usque ad simplicem monadem. Hæc gradatio necessaria est in principio rationis sufficientis, secus *saltus* essent, de quibus nulla esset ratio. In omni ergo monadum aggregato, vel in omni corpore adest infinitas compositum parvorum per differentias infinite parvas decrescentium usque ad illud quod relationem magis immediatam cum Ente simplici habet. 15. Monas interim nequit Universum repræsentare nisi corpori infinite parvo adjuncta, & quemadmodum ex sui ipsius natura est semper eum repræsentare, sic ejusdem monadis natura requirit nunquam ab ipso corpore sejungi. 16. Exposcetur fortasse, quomodo accidit has monades absque conscientia posse perceptiones habere? Id provenit, ex perceptionibus, quæ sunt omnino obscuræ. Quando nos ex. gr. maris murmur audimus, cujusdam fluctus adhuc audimus, sed murmur totale est clara perceptio, cujus conscientiam habemus, illa cujusdam fluctus obscura est quæ in totali confunditur, & ideo ejus conscientia non habetur. Omnes nostræ perceptiones ex millibus aliis minoribus sunt similiter conflatæ, & quando hæ omnes obscuræ sunt nos conscientiam nullam earum habemus, ut tempore *somni*. 17. Si in perceptionibus compositis nos omnes simplices, ex quo exurgunt clare distinguere possemus omnium conscientiam haberemus, & nostra cognitio ingens esset, sed id præter Deo non convenit; nostræ perceptiones nunquam, quam confuse aliquid repræsentant, cum impossibile sit, nos distingui quod

guerentur. 3. Extensio, figura, locus, motus nulli ex monadibus conveniunt, per consequens nec ipsarum aggregationi: omnia hæc non sunt quam *phenomena*, vel *apparitiones*, ut *colores* 4. *Extensionem* percipimus, quatenus nobis perceptiones præsentant res, unam extra aliam. & ut extra nos positas. Si hæ res nobis præsentantur, ut eundem ordinem servantes, *quietis*, si variationem, *motus* idea habetur. 5. Ex motus idea *spatii* idea emerget. Concipi nequit mobilis, ac impenetrabilis extentio absque alia fixa, ac penetrabili in qua moveatur. Exposcitur, an spatium vacuum vel plenum sit? Est simplex apparitio, per consequens non est neque vacuum, neque plenum. Pergit, sunt ne corpora? Minime, inquit. Si per corpus quid reale extensum intelligitur; si postea quid in apparitione extensum per corpus ponitur, adsunt profecto. 6. Omnia sunt, vel fiunt *ratione sufficiente*, ergo quid *analogi* hic apparitionibus debet existere. Quando igitur extensionem continuam percipimus, inter monades immediate relationes aliquo modo ei, quod nobis nostræ perceptiones præsentant, analogæ realiter existunt, sed eo modo, quo non existunt monades perfectè similes, sic duo monadum aggregata, quæ possint easdem relationes habere, nequeunt existere. 7. Ut monadis ideam acquiramus, satis est per exemplum sumere quod nostræ animæ habemus, nimirum simplicis substantiæ quæ perceptiones habet. Harum perceptionum principium ab extrinseco nequit venire, cum monas simplex sit, est incapax in propria substantia ab extrinseco mutationem recipere: ergo a vi intrinseca oriuntur, vel a vi, qua monades sunt ad agendum præditæ, quæ cum nequeat impediri, evenit quod realiter agat, & continuo mutationes habeat, ac perceptiones. 8. Cum monades nequeant unam in alteram agere, quælibet ex se ipsa operatur. Nihil obstat ideo, quod earum actiones sejunctæ quasdam relationes inter se habeant, & omnes ad communem finem tendant. En *Universi harmonia*. 9. Hujus harmoniæ auctor Deus est, sed non ideo a se sunt omnis substantiæ mutationes determinatæ, ut simul convenirent, sed consuluit id quod unicuique evenire debebat ratione vis ei propria, & conjunxit eos, quarum mutationes jungi debebant. 10. Eo modo, quo ex plurium monadum aggregatione *corporis* phænomenon oritur, sic ex suarum virium aggregato vis *motricis* apparitio, vel phænomenon habetur. Hæc vis motrix constituit naturam & principium omnium mutationum quæ ipsi corpori accidunt. Eadem semper est, adhuc quando corpus in quiete videatur, nam monades eam componentes nequeunt unquam aliquid suæ vis omittere. Quantitas vis est interdum in universo constans, ac eadem. 11. Quamquam ad eundem finem vires omnes tendant, tamen non

æque

æque omnes tendunt, & videntur una alteri obstare, hic phænomenon vis *inertiæ*, vel *resistentiæ* oritur. Ut ergo fiat completa corporis notio, ideæ extensionis, mobilitatis, impenetrabilitatis adjungi debet ideam vis motricis, & vis inertiæ. 12. Si a vi motrice inertia abscindatur, *materiæ*, idea habetur, si uni o virium motricium sola consideratur, habetur idea *Naturæ universalis*, principii nimirum omnium phænominorum in universo. 13. Modo quo, non movetur corpus, omnia reliqua corpora non movendo, si pleno Cartesii datur realitas, monades, etsi ad invicem non agant, per harmoniam præstabilitam, cujusdam mutatio semper relativa est illi reliquarum omnium. Omnis ergo mutatio, vel quælibet monadis perceptio, representat relationes quas habet cum omnibus reliquis mutationibus. Et sicut omne est in Universo conjunctum, elapsum cum presente, presens cum futuro; sic eadem perceptio uno tempore representat & elapsum, & praesens, ac futurum; idea perfecta universi haberetur hic, si actualis status unius monadis perfecte posset internosci: non ideo omnis monas eodem modo universum præsentat, sed quælibet juxta relationes cum aliis habitas. Nec etiam est aggregatum ex monadibus nimis compositum immediate ex monade simplici repræsentatum, sed ex aggregato minori, hoc ab alio, & sic usque ad simplicem monadem. Hæc gradatio necessaria est in principio rationis sufficientis, secus *saltus* essent, de quibus nulla esset ratio. In omni ergo monadum aggregato, vel in omni corpore adest infinitas corporum parvorum per differentias infinite parvas decrescentium usque ad illud quod relationem magis immediatam cum Ente simplici habet. 15. Monas interim nequit Universum representare nisi corpori infinite parvo adjuncta, & quemadmodum ex sui ipsius natura est semper eum representare, sic ejusdem monadis natura requirit nunquam ab ipso corpore sejungi. 16. Exposcetur fortasse, quomodo accidit has monades absque conscientia posse perceptiones habere? Id provenit, ex perceptionibus, quæ sunt omnino obscuræ. Quando nos ex. gr. maris murmur audimus, cujusdam fluctus adhuc audimus, sed murmur totale est clara perceptio, cujus conscientiam habemus, illa cujusdam fluctus obscura est quæ in totali confunditur & ideo ejus conscientia non habetur. Omnes nostræ perceptiones ex millibus aliis minoribus sunt similiter conflatæ, & quando hæ omnes obscuræ sunt nos conscientiam nullam earum habemus, ut tempore *somni*. 17. Si in perceptionibus compositis nos omnes simplices, ex quo exurgunt clare distinguere possemus omnium conscientiam haberemus, & nostra cognitio ingens esset, sed id præter Deo non convenit; nostræ perceptiones nunquam, quam confuse aliquid repræsentant, cum impossibile sit, nos distingui quod

ipsæ intercludant. 18. A statu, in quo omnes perceptiones sunt omnino obscuræ, usque ad illum, in quo est omne clarum ac distinctum infiniti gradus possint excogitari, qui comprehendunt omnes status possibiles monadum. Illæ in quibus perceptiones sunt omnino obscuræ a Leibnitio *Enthlechia* appellantur: quæ gradum aliquem perspicuitatis incipiunt habere & perceptiones & conscientiam comitantur, sunt *animæ*: ubi eo sunt ecclaratæ, quod possint pervenire ad cognitionem veritatum necessariarum sunt *animæ rationales*; quando tandem magis claræ, ac distinctæ fiant, efficiunt, animas rationales pervenire ad statum superiorem quem actu habent. 19. Corpus organizatum est monadum aggregatio, quarum partes habent inter se ejusmodi harmoniam quæ ad eundem finem concurrere eos facit, non secus ac si ageret independenter una ab altera. Corpus humanum ex. gr. organizatum est, quia omne est in proportione apta ad transmittendas apparentes in animam perceptiones, quando obscuras ac confusas, quando claras ac distinctas usque ad quemdam gradum. Omnis monas est adhuc corpori conjuncta, quapropter ipsa nobis universum repræsentat, Omnis monas habet igitur corpus organizatum, nimirum entium simplicium aggregatum sibi ipsi subordinatorum: Monas principalis cujuslibet aggregati est ab auctore appellata *Enthelechia dominans*. 20. Ex hoc internoscitur nihil mortui in natura dari, omne animatum esse; & omnis materiæ portio est unus creaturarum animarum, Enthelechiarum & animalium specie infinitorum mundus, Inter tot entia quæ vivunt, pauca hoc in mundi Theatro figurant, sed scena undique eadem est; ipsa oriuntur, pereunt, & multiplicantur ut nos. 21. Ideo nullus ortus, vel mors proprie dicta est, omnis enim monas ex sua natura repræsentare debet universum, omnis monas est corpori conjuncta, ut nunquam sejungetur. Conceptio, generatio, dissolutio non sunt, quam metamorphoses, vel mutationes quæ dant animis transitum ex una in aliam speciem, ut vermis in crisalidem transit. Quam ob rem machina naturalis nunquam destruitur, etsi propter grassarum partium omissionem reducatur ad parvitatem quæ eam sensibus subtrahit, non secus ac quando animal erat antea quod nos suum ortum appellamus. 22. In his metamorphosibus omne non solum ad universi perfectionem generaliter tendit, sed adhuc ad uniuscujusque creaturæ, in particulari. Hinc corpora non enodantur, quam causa transferendi entelechiis dominantibus perceptiones magis, atque magis claras ac distinctas, & hinc ex una in aliam classem superiorem eas transferre. 23. Animæ ergo nostræ non sunt in conceptionis momento creatæ, omnes simul cum mundo fuere creatæ, & evaserunt rationales quando eorum corpo-

ra

ra satis, abbundeque enodata fuere, ut eis perceptiones certum claritatis gradum trasmittant. Tempore mortis quælibet in unione cum primo suo corpore durat, & propriam personalitatem conservans in statum, relicto perfectiorem transit. Aliæ monades, quæ præter puras Entelechias non sunt, experientur quoque ad invicem æquales metamorphoses (a). Et hæc per totam æternitatem perdurabunt. Hoc est systematis Leibnitii compendium.

Confutatio prædicti Systematis.

In omni systemate duo sunt effugienda. 1. Phænomena pro explicatione sumta supponere: 2. Rationem illorum reddere principiis non ipsis phænomenis clarioribus. In primo erant *Cartesiani* ajentes, corpus esse extensum, quia partibus extensis conflatum: secundo Leibnitius, qui inquit, unam substantiam esse extensam, quia est aggregatum substantiarum quæ sunt inextensæ. Cum non intelligatur enim quid sit substantia extensa, multo minus intelligi debet simplex ejus negatio. Leibnitius est molitus suarum monadarum ideam positivam dare, qualitates positivas eis attribuendo; nimirum vim & perceptiones universum repræsentantes, sed hæ qualitates verba sunt, nullam realem ideam suppeditant. Ut revera concipiatur vis quæ supponitur in quavis monade, contemplari facit eam, quam nos in anima nostra internoscimus. Si hæc esset a corpore sejuncta, res incederet aliquantulum, sed cum sit cum corpore conjuncta illa a corpore pendet, adeo ut vis a seipsa habita, & cui deberet similis esse supposita monadum vis, nullo modo concipi potest: & ipse Leibnitius ostendit, se nullam istius vis ideam habere; appellat enim eam continuum conatum qui nunquam invenit obstaculum, ast ubi deficit obstaculum deficit adhuc conatus. Perceptionum Leibnitii, maxime in simplicibus enthelechiis ideam ignoramus; continuo percipere absque perceptionis conscientia est quid incomprensibile, ac involutum. Murmur maris nihil demonstrat. Si non distinguitur cujuscunque fluctus, omnium simul resultatum intelligitur, & hic agitur de continua perceptione absque apprehensione & conscientia. quod idem est continuo percipere & nunquam aliquid percipere. Quomodo hinc, concipi potest, has perceptiones ejusmodi esse, quod universer-

(a) *Gottlieb Anschius* in commento principiis Leibnitii refert, quod hic philosophus dum potum Caffè sumébat dixit ei, quod fortasse esset in poculo monas quæ in progressu evasisset fortasse anima rationalis.

versum repræsentent? Verba *speculum, immago* quibus utitur auctor enti simplici ac perceptioni applicita, vacua sunt, & nullam ideam suppeditant. (a). Si vero hanc vim repræsentativam monadibus, earumque perceptionibus concedimus, quo modo potest quælibet universum ejusmodi repræsentare, quod qui unam ex illis internoscat, deberet ipsum internoscere universum? Per harmoniam præstabilitam, inquit *Leibnitius*, quælibet monas cum omnibus reliquis relationem tenet. Erit hic exposcendum, quam relationem, & quo modo ens simplex cum infinitis aliis entibus simplicibus ab omnibus segregatis unum ab altero independens possit habere? Hoc prætermisso. Latus trianguli habet quoque relationem cum duobus reliquis & cum tribus angulis. Igitur dicendum quod erit sufficiat internoscere unum latus, ut reliquorum duorum longitudo, & angulorum gradus internoscatur? Non est captu facile quo modo quælibet monas corpus habeat, nimirum aggregatum aliarum monatum sibi submissum. Conveniret, quamlibet entelechiam esse, habita ratione ad nonnullas, simplicem; & enthelechiam dominantem, habita ratione, ad alias: nimirum nonnullarum animam, & corpus aliarum esse, per consequens corpus tot animis refertum quot monades e quibus conflatur; sed in nonnullis corporibus, animalia scilicet, una ex istis animabus haberet perceptionem & conscientiam, in reliquis omnibus animæ sint perceptione præditæ, sed conscientiam orbatæ. Qualis rerum confusio? Transitus monadum ex simplicibus enthelechiis ad rationales animas, ope corporis enodationis, tempore quo corpus hoc nullam habet in eas actionem, idem esse, ac impenetrabile mysterium. Per consequens hic celeberrimus philosophus in sui validissimi ingenii spretum, ut explicaretur quod est explicatu impossibile, majorem obscuritatem pandit, & totum ejus systema demum reducitur ad nihilum.

Finis Totius Operis.



IN-

(a) V. adn. 27. tom. II.

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM.

Pro-